



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Lourenço, Agostinho

Leodii, 1694

Disputatio V. De objecto terminativo Visionis Beatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)

dinis omnia, quæ pertinent ad suum statum; neque tamen inde rectè inferri, videre in Verbo diem iudicii; siquidem id, neque ad statum, neque ad ministerium Angelorum spectat, ut rectè ostendit idem P. Soar. *ibid.* cap. 5. num. 16. Et quamvis videant orationes sibi in futurum fundendas, quatenus id necessarium est, aut ad eorum ministeria, aut ut Ecclesia militans, & homines viatores fidentius possint cum illis colloqui, & securius in eorum potestate confidere, illas tamen non vident quoad omnes individuas circumstantias, etiam temporis; neque enim opus est, ut videant, an sint à Deo exaudiendæ, & quomodo implendæ; an res postulata expediant postulantis, & similia, quæ expressit Caiet. 2. 2. q. 86. art. 4. ad 2 idemque dicendum de cæteris, quæ per Angelorum, aut hominum ministeria in Ecclesia sunt evenitura, quamdiu hæc duraverit. Neque etiam infertur, singulos Angelos ab initio suæ beatitudinis videre in verbo omnes eventus futuros sui clientuli, eos præsertim, qui aut ex voluntate, & libero Dei decreto pendent; aut ad secreta cordis spectant.

258. Instabis: Ad statum Beati pertinent, non solum futura, sed etiam præsentia ut sic; ergo illa cognoscunt ut sic in verbo; consequenterque successione temporis. Respondeo non omnia præsentia spectare ad statum cujuscunque Beati; alioqui omnes quoad hoc essent æquales; quæ tamen ad cujuscunque statum spectant, statim ab initio suæ beatitudinis videntur, si jam extabant; aut videntur ut futura antequam fiant, & cognoscuntur secundum præsentiam per cognitionem in proprio genere.

259. Argues 4. Christus Dominus per suam Visionem Beatam creatam videt quæcumque; Deus scit, & cognoscit Scientiâ Visionis, ut in Materia de Incarnatione latè explicatur; sed hæc non solum cognoscit futura, sed etiam præsentia successione temporis; ergo etiam sic illa cognoscit Christus Dominus Visione Beata; consequenterque sic ea cognoscunt alii Beati. Respondeo quidquid sit de majori, quod scilicet Christus Dominus videat totum objectum Scientiæ Visionis, & illud sit, sive finitum, sive infinitum, dataque minori, negando consequentiam; satis enim est, quod Christus Dominus objecta ab initio suæ beatitudinis futura, postea cognoscat, quando suo tempore esse actuale accipiunt, causaliter, id est, per cognitiones peculiare in proprio genere, prout singula succedunt suo tempore.

260. Argues 5. Non posse Beatum cessare à Visione Dei, saltem prout terminatur ad objecta creata, videtur magna imperfectio statûs Beatifici, quatenus ita necessariò fertur in objecta creata, atque in Deum; sed hujusmodi cessatio stare nequit absque mutatione ipsius Visionis beatæ, aut quoad esse simpliciter; aut saltem quoad intensionem, vel extensionem, quæ sunt illius accidentia; ergo &c. Respondeo cum P. Gil. *rom. 2. tract. 9. cap. 3. sine* negando majorem: perfectius enim est, non solum respectu Statûs Beatifici, sed etiam respectu ipsiusmet Visionis Beatæ, esse necessariam, consequenterque immutabilem, quam contingentem, & possibilem, atque aded mutabilem: sicut cernitur in Scientiâ Dei Increatâ necessariâ, & contingente; prima enim, saltem ratione necessitatis nobilior, & perfectior est, quam secunda, ut constat. Neque ex hoc sequitur objectum creatum necessitare potentiam primariâ, & ratione sui, sed solum secundariâ, & ratione objecti Increati prius cogniti.

DISPUTATIO V. De objecto terminativo Visionis Beatæ.

SECTIO I.

*Quænam perfectiones Divinae
pertineant ad objectum primarium
Visionis Beatæ?*



ADVERTES primò, perfectiones divinas, alias esse absolutas, & alias Relativas; ad perfectiones divinas absolutas spectare, non solum Essentiam, & illius prædicata essentialia, qualis est ratio substantiæ, viventis, &c. sed etiam perfectiones illas, quæ à Theologis dici solent Attributales, quæ instar proprietatum censentur emanare à Natura Divina, quales sunt Omnipotentia, Misericordia, Justitia, &c. Ad perfectiones autem Relativas pertinere Relationes constitutivas, & distinctivas Personarum, quales sunt Paternitas, Filiatio, Spiratio passiva, & omnes actus Notionales, de quibus omnibus suo ordine inquirendum est: Utrum de facto (de possibili enim quid dicendum sit constabit disput. 6.) pertineant ad objectum primarium: an secundarium Visionis Beatæ?

Advertes secundò, objectum primarium alicujus cognitionis esse illud, quod in se, & non in alio prius cognito, cognitionem ipsam terminat, sive ad illam moveat per se immediatè, sive per speciem à se productam: secundarium autem, ut tale dicatur, debere: Primò attingi per eandem indivisibilem cognitionem, per quam attingitur primarium: Secundò cognosci per primarium, ita ut primarium prius cognitum sit ratio attingendi secundarium.

Advertes tertio, certum esse, Deum Unum, & Trinum esse objectum nostræ Visionis Beatæ, ita ut nec sola Deitas, nec solæ Personalitates, sed utrumque simul videatur à Beatis. Patet primò ex Concil. Florent. in litt. unionis, ubi ait: *Beatas animas clarè intruere Deum Trinum, & Unum, ut est in se.* Et Concil. Francford. in *Epist. ad Episcop. Hispan. sine: Prædicemus, ait, Deum verum, ut ad ejus beatissimam Visionem pervenire mereamur.* Et I. Joan. 3. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia vidimus eum sicuti est.* Idem habetur Matth. 18. & I. Cor. 13. aliisque in locis supra relatis.

Patet secundò ex Sanctis Patribus præsertim D. Greg. Naz. *Orat. de S. Basil. sine. Simul, ait, viventes Sanctam, & Beatam Trinitatem cujus nunc exiguum speciem, & imaginem accipimus, purius, perfectiusque, conspicientes desiderii nostri finem statuamus.* Et D. August. *rom. 4. lib. de Catechizand. cap. 25. Credimus, ait, quod non videmus, ut ipsis meritis Fidei, etiam videre, quod credimus, & inherere mereamur: ut aequalitatem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & ipsius Trinitatis Unitatem, quomodo sunt hæc tria Unus Deus, non jam verbis Fidei personemus, sed contem-*

contemplatione purissima, & ardentissima in illo silentio forbeamur.

5. Patet tertio rationibus: Prima, quia hoc Myſterium eſt omnium, quæ in Deo ſunt, maximè ſublime; ergo valdè contentaneum fuit, non latere Beatos, qui Deum vident, ut eſt in ſe. Secunda, quia maximè proportionatum præmium eſt obſcuræ fidei, ut id, quod firmiter creditur, clara viſione conſpiciatur. Tertia, quia Deus, ut conſtat ex locis citatis, videtur à Beatis ſicuti eſt; atqui ſine viſione huius Myſterii non videretur abſolutè Deus, ut in ſe eſt; ergo &c. His poſitis.

6. Dico 1. Eſſentia divina, & omnes ejus perfectiones eſſentiales pertinent ad objectum primum Viſionis beatæ. Eſt indubitata reſolutio, ita ut nullus, quem viderim, diſſentiat. Probatum primum ex locis ſacræ Paginæ, Concil. & Sanctorum Patrum proximè adductis. Secundò, quia objectum primum alicujus cognitionis eſt illud, quod non in alio prius cognito, ſed ſe ipſo immediatè, aut per ſpeciem à ſe productam, ipſam cognitionem terminat, ut ſupra diximus; atqui ita ſe habet Eſſentia divina, & omnes ejus perfectiones eſſentiales reſpectu Viſionis Beatæ; ſiquidem cum in Deo nihil ſit prius prædicatis eſſentialibus, hæc nequeunt aliquid ſupponere, quod prius terminet Viſionem beatificam; ergo &c. Confirmatur, quia omnia illa ſpectant ad objectum primum Viſionis Beatæ, quæ aut per ſe immediatè, aut per ſui ſpeciem impreſſam determinant potentiam ad talem cognitionem eliciendam; ſed ita ſe habet Natura Divina ſecundum omnia ſibi eſſentialia; ut ſupra diximus; ergo &c.

7. Dico 2. Perfectiones divinæ Attributales pertinent ad objectum primum Viſionis Beatæ. Ita expreſſè Aureol. in 1. diſt. 1. quæſt. 1. art. 5. ad 1. Major q. 14. ad 5. Caiet. 2. 2. q. 2. art. 8 §. Quo ad 3. & alii, quos citat, & ſequitur P. Gil. tom. 2. tr. 7. cap. 1. à n. 5. Probatum, quia objectum primum cognitionis, ut diximus, eſt illud, quod immediatè, & non in alio prius cognito, ipſam cognitionem terminat; ſed perfectiones Attributales ſic immediatè terminant Viſionem Beatam; ſiquidem objectum eodem modo terminat cognitionem, quo ad illam concurrunt; perfectiones autem Attributales immediatè concurrunt ad cognitionem beatificam, utpote quæ immediatè, & æquè primò ad illam concurrunt, atque perfectiones eſſentiales, ut ſupra diximus; hæc verò ſic immediatè ad illam concurrunt; ergo &c.

8. Confirmatur primò, quia perfectiones Attributales ſunt eadem ex natura rei cum perfectionibus eſſentialibus, & æquè primò, ac immediatè viſibiles ab intellectu beato illustrato lumine gloriæ; ergo æquè immediatè viſionem terminant; conſequenterque ad illius objectum primum ſpectant. Secundò, quia ad objectum primum viſionis Beatæ ſpectant quæcunque includuntur in Eſſentia, ut eſt à parte rei; cum ſit cognitio Eſſentiæ prout eſt à parte rei; ſed Eſſentia prout eſt à parte rei, imò & quoad noſtros conceptus (ut aliqui dicunt,) includit omnes perfectiones abſolutas, etiam Attributales, ut diximus in Metaphyſicis; ergo &c.

9. Oppositum tenent Scot. collat. 21. Mayron. in 1. diſt. 1. q. 4. art. 2. Baſſol. q. 1. art. 3. §. Sed non video, & cum illis Scotiſta, quibus favere videtur P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. ſect. 9. n. 144. pro illis. Dices 1. Perfectiones Attributales ſunt poſteriores eſſentialibus in eſſendo; ergo etiam in cognoscendo; ſiquidem modus cognoscendi, etiam paſ-

ſivus, ſequitur modum eſſendi; conſequenterque poſteriori terminant Viſionem Beatam, & ad illius objectum primum non ſpectant. Reſpondeo negando antecedens: perfectiones enim Attributales à parte rei ſunt omnino idem cum eſſentialibus, ſicque reſpectu illarum nequeunt eſſe poſteriores in eſſendo, conſequenterque neque in terminando viſionem; idem enim non poteſt eſſe prius, & poſterius ſe ipſo. Neque obſtat quod tales ſint ex noſtro concipiendi modo; ſiquidem Viſio Beatæ ex noſtro intelligendi modo non pendet.

Dices 2. Connaturalis modus cognoscendi proprietates eſt, percipiendo prius earum ſubjectum, & eſſentiam, quæ eſt ratio, ſeu occaſio attingendi illas, ut patet, facta inductione in cognitionibus proprietatum in rebus creatis, quæ ſemper cauſantur ex cognitione antecedente ſubjectorum; ſed Attributa in Deo habent ſe ut proprietates Eſſentiæ, quod omnes concedunt; ergo &c. Reſpondeo majorem eſſe veram de proprietatibus in creatis, quæ ex natura rei diſtinguuntur à ſuis ſubjectis; non ita verò in Attributis, quæ ita non diſtinguuntur ab Eſſentia.

Dico 3. Relationes divinæ conſtitutivæ, & diſtinctivæ Perſonarum, atque adeò actus Notionales ſpectant ad objectum primum Viſionis Beatæ. Ita P. Mol. 1. p. q. 12. art. 8. d. 4. conſuſ. 2. Zumel. art. 7. q. 2. ad 3. Egid. lib. 5. de Beatit. q. 14. art. 3. §. 9. n. 67 & art. 7. §. 4. à n. 45. eſtque eorum, quos ſupra citavimus num. 7. Probatum, quia omnia illa pertinent ad objectum primum Viſionis Beatæ, quæ illam primò, & immediatè terminant, ut diximus; ſed Eſſentia Divina æquè primò, & immediatè illam terminat non ſolum ſecundum perfectiones abſolutas, ſed etiam Relativas; ſiquidem illam terminat eodem modo, quò ad illam concurrunt; ad illam autem æquè primò, & immediatè concurrunt, non ſolum ſecundum perfectiones abſolutas, ſed etiam Relativas, ut ſupra diximus d. 2. ergo &c. Confirmatur, quia omnes rationes, quas Adverſarii adducere ſolent, nè Relationes divinæ ſpectent ad objectum primum Viſionis Beatæ, eadem militent, nè ad illam per ſe primò, & immediatè concurrant; ſed hoc ſecundum non convincunt, ut patet ex dictis loco proximè citato; ergo neque primum.

Oppositum tenent Scot. in 1. diſt. 1. q. 2. §. Quantum ad iſtum. Cabrer. 3. p. q. 10. art. 2. d. 5. ad 2. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 32. n. 2. & lib. 9. de Timit. cap. 5. n. 4. & alii apud Egid. cit. §. 1. n. 4. pro quibus: Objicies 1. Relationes divinæ eodem modo ſe habent ad terminandam Viſionem Beatam, quo ad illam eliciendam concurrunt; ſed ad illam eliciendam concurrunt mediante Eſſentia; cum hæc ſit illarum radix, & fundamentum; ergo etiam ſic illa mediante, & non primariò, & immediatè terminant Viſionem Beatam; conſequenterque ad illius objectum primum non ſpectant. Reſpondeo negando minorem, ut conſtat ex dictis loco proximè citato; nam Relationes divinæ habent veram, & realem entitatem, ſuntque formæ æquè intelligibiles, & præſentes intellectui creato, atque ſunt perfectiones abſolutæ; ac proinde ſicut hæc, ita & illæ concurrunt immediatè, & per ſe primò ad eliciendam, & terminandam Viſionem Beatam.

Objicies 2. Pater in eo priori, quo antecedit Filium, & Spiritum Sanctum, eſt perfectiſſimè Beatus per Viſionem Increatam; ſed huiusmodi Viſio in eo priori ſolum ad Eſſentiam, & perfectiones abſolutas

absolutas terminatur, & non ad Relativas Filii & Spiritus Sancti; siquidem pro eo priori, neque producta, neque existentes sunt; ergo sola Essentia & perfectiones absolutae spectant ad objectum primum Visionis Beatæ Increate; ergo & creatæ. Respondeo negando minorem; nam in eo priori jam sunt producta, & existunt dictæ Relationes; siquidem prioritas originis, qualis est illa, non denotat aliquam durationem, & præcedentiam temporis, in quo unum existat sine alio, sed tantum quod Persona producat sit ad productam, & producta à producente, cum quo stare potest, quod utraque esse possit in eodem indivisibili momento.

14. Instabis: Prioritas originis, quâ Pater antecedit Filium, & Spiritum Sanctum satis est, ut Persona Patris concurrat ad productionem Filii, & non ita concurrat Persona Filii, aut Spiritus Sancti; ergo eadem prioritas Patris sufficit, ut sola Essentia, & perfectiones absolutae terminent illius Visionem Increatam, & non ita illam terminent Relationes Filii, & Spiritus Sancti. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia ad productionem realem, qualis est illa, per quam producit Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non solum requiritur præsentia realis in eodem instanti ex parte principii productivi, sed quod principium sit in signo aliquo antecedente principiatum; cum autem neque Persona Filii, neque Persona Spiritus Sancti, sui ipsius productionem antecedit, licet in eodem instanti existat Filius cum Patre, & Spiritus Sanctus cum Patre, & Filio, inde est, quod sui productiones non attingant: at verò ad intellectionem essentialem, sive conceptum, & illius concursum in ratione termini, qualis est ille, quem exhibent Relationes Personales erga Intellectionem Increatam Patris, satis est præsentia realis in eodem instanti temporis, licet in diverso signo; siquidem, ut aliquid sit terminus cognitionis, etiam intuitivæ, satis est præsentia objectiva, quæ datur etiam in rebus futuris; unde tantum abest, quod ad intellectionem Patris requiratur præsentia Relationum Personarum in eodem signo, quod neque necessaria sit in eodem instanti, quam tamen habent de facto. Accedit, quod Visio Increata Patris, cum sit improducta, & improducibilis, non exigit Relationes, ut principia effectiva, sed ut terminos; ratio autem termini tantum abest, quod exigit præsentiam in eodem signo, ut dari possit in re futura & longè distanti, tam quoad durationem, quam quoad locum.

15. Objicies 3. Si Personalitates Relativæ habent rationem objecti primarii respectu Visionis Beatæ, etiam Increatæ, sequeretur: Primò Visionem Patris accipere ab illis suum esse; siquidem habent se, ut illius motivum: Secundò, non omnem perfectionem essentialem & absolutam in Deo esse priorem Relativis; siquidem cum Relationes simul cum Essentia habent rationem objecti respectu Visionis Essentialis Increatæ, sicut ipsa Essentia est prior, quia ad illam ex parte objecti concurrat, ita priores illæ essent Relationes; sed hæc ut absurda non sunt admitenda; ergo neque illud, ex quo sequuntur. Respondeo negando utramque sequelam; nam cum Relationes Personales non se habeant, ut principium, sive causa motiva Visionis Increatæ, utpote quæ à nullo causari potest, sed tantum ut terminus objectivus talis cognitionis, inde est, quod prædicta Visio, sive cognitio essentialis neque ab illis accipiat esse, neque sit illis po-

sterior; ac proinde semper absoluta in Deo sunt priora relativis.

Dico 4. Actus Dei liberi (si quo pacto attinguntur per Visionem Beatam, de quo statim) ad illius objectum primum spectant. Ita *Egid. lib. 5. de Beatitud. in proem. quest. 3. & 15. P. Gil. tom. 2. tr. 7. cap. 2. num. ult.* & alii Recentiores, Probatur, quia actus Dei liberi habent sufficientem entitatem, ut per se primò, & immediatè terminent cognitionem Increatam; siquidem eorum entitas non distinguitur ad entitatem actuum necessariorum, prout alibi diximus; ergo etiam sic poterunt terminare cognitionem creatam beatificam; consequenterque spectare ad illius objectum primum. Confirmatur, quia omnes perfectiones Divinæ, tam absolutæ, quam Relativæ, pertinent ad objectum primum Visionis Beatæ, ut diximus, utpote quæ immediatè terminant; ergo idem dicendum erit de actibus Dei liberis, cum in illis non appareat specialis difficultas.

Oppositum tenet *P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 9.* Pro quo objicies: Actus Dei liberi videri nequeunt aliter, quam per Visionem Dei, dependenter tamen ab Essentiâ clarè visâ; sicut modi rerum creatarum cognoscuntur dependenter à cognitionibus earum, quarum sunt modi; ergo cum non terminent ipsam Visionem immediatè in se, ad illius objectum primum non spectant. Respondeo negando antecedens: licet enim prædicti actus in sola Essentiâ Divina videantur, & dependenter ab illa, non ideo desinunt immediatè per se terminare Visionem beatam: sic enim figura, & intensio objecti colorati dependenter ab illo visionem terminant, immediatè tamen, & per se primò.

SECTIO II.

Virum, & quomodo actus Dei liberi Visionem Beatam terminent?

DIXIMUS proximè, actus Dei liberos spectare ad objectum primum Visionis Beatæ (si quo pacto per illam attinguntur,) superest nunc examinare hanc conditionalem si quo pacto, & inquirere: Utrum, & quomodo attingantur? Triplex enodanda venit difficultas: Prima, an repugnet actibus Dei liberis attingi per Visionem Beatam? Secunda, an aliqui de facto per illam attingantur? Tertia, quomodo & quâ ratione illam terminent? Sit igitur.

Difficultas 1. Utrum repugnet actibus Dei liberis attingi per Visionem Beatam? Negativè. Ita *P. Gil. tom. 2. tract. 7. cap. 3. num. 3. & 4. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 24. num. 6. P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 4. sect. 9. n. 144. Egid. lib. 5. de Beatit. q. 21. a. 1. §. 1. & alii.* Probatur, quia actus Dei liberi sunt in se ipsis cognoscibiles; siquidem à Deo cognoscuntur; ergo non eis repugnat attingi à Beatis per Visionem beatam.

Difficultas 2. Utrum aliqui actus liberi Dei cognoscantur de facto à Beatis per Visionem beatam? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. part. q. 12. a. 7. Egid. P. Soar. P. Gil. P. Sal. cit. P. Fajol. 1. part. quest. 12. art. 8. dub. 3. num. 27. & alii.* Probatur primò auctoritate Sanctorum Patrum, *D. Dionys. cap. 3. de Divin. Nomin.* ubi dicit Angelos inferiores illuminari à superioribus de divinis consiliis, quæ ipsi

ipsi norunt. Et D. Berni. lib. 5. de Considerat. cap. 4. ad illud Psalm. 26. *Vt videam voluntatem Domini: Quid, inquit, ni ibi videatur cor Dei? Quid ni ibi probetur quæ sit Voluntas Dei bona, & perfecta?..... Patent viscera Misericordiæ, patent cogitationes pacis, divitiæ salutis, &c.*

21. Probatur secundò rationibus: Prima, quia huiusmodi actus sunt cognoscibiles intuitivè, siquidem ita cognoscuntur a Deo; ergo aliqui saltem cognoscuntur à Beatis. Secunda, quia Beati vident in Deo creaturas existentes; sed in Deo nulla datur perfectio, quæ sit medium magis accommodatum ad cognoscendas creaturas existentes, quam ejus actus liberi; ergo &c. Tertia, quia in Beatis datur appetitus connaturalis, & maximè rationalis cognoscendi in Deo ordinem, & fines Providentiæ Divinæ circa res creatas, ergo ut hic appetitus impleatur, saltem secundum quod spectat ad statum cujuslibet Beati, manifestabit illis Deus per Visionem Beatam, aliqua saltem decreta libera, in quibus circa illas res elucet Providentia Divina.

22. Dixi in conclusione aliqui actus liberi Dei, quia Beati omnia libera Dei decreta non cognoscunt. Primò propter aliqua incommoda inferius adducenda. Secundò, quia jam non esset singulare privilegium Animæ Christi Domini omnia Dei consilia intueri. Tertiò, quia Naturæ Divinæ denegaretur privilegium concessum naturæ creatæ intellectuall, quatenus scilicet cognita, etiam intuitivè ab intellectu creato, non statim apparent in ea actus illius liberi, & secreta cordis cogitationes.

23. Oppones 1. Si Beatus per Visionem Beatam intueretur aliquem actum Dei liberum, intueretur omnes; siquidem Beatus de facto intueretur quidquid est in Deo formaliter, & cognoscibiles omnes verò actus liberi sunt cognoscibiles; & in Deo formaliter, imò ab Essentia indistincti quoad positivam entitatem; sed non intueretur omnes, aliqui Deum ipsum comprehenderet, quod est impossibile, ut ex dicendis constabit; ergo &c. Respondet distinguendo majorem: intueretur omnes materialiter, & confusè; concedo majorem: formaliter, & distinctè; nego majorem: cum enim omnes actus Dei liberi sint à parte rei una, & simplicissima entitas, rectè sequitur, cognita entitate unius, cognosci etiam entitatem omnium, & omnes saltem confusè: sicut cognito uno attributo, cognoscuntur omnia confusè, utpotè in illo inclusa: non tamen inde sequitur, cognosci omnes distinctè, & secundum diversas habitudines ad extrinsecum, sicque Deum non comprehendit, ut ex infra dicendis clariùs constabit.

24. Oppones 2. Actus Dei liberi, ut possent cognosci à Beatis, deberent habere aliquid, per quod moverent intellectum Beati ad sui visionem; sed nihil in illis datur, quod ita moveat; siquidem in actu Dei libero solum datur, aut entitas intrinseca; hæc autem non movet, utpotè indistincta ab entitate actus necessarij; aut respectus rationis, si vè terminatio ad objectum, quæ etiam non movet, cum non sit aliquid divinum; ergo &c. Respondet negando minorem; talis enim actus sufficienter movet, & determinat intellectum Beati ad sui visionem, ut jam explicabimus.

25. Difficultas 3. Quomodo actus Dei liberi cognoscantur in Deo à Beatis? De hac controversia nihil ferè antiquiores Scholastici, pauca quædam dixerunt Recentiores, breviter nos etiam illam expendemus. Vide P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 24.

Tom. I.

à n. 7. P. Mol. 1. p. q. 12. a. 8. d. 5. memb. 5. Bannez. ibid. §. His positis, Zumel. ibid. a. 7. q. 2. ad 1. P. Granad. tr. 6. d. 1. sect. 7. P. Fasol. 1. p. q. 12. a. 8. dub. 3. n. 28. P. Amicus tom. 1. d. 9. n. 346. P. Herice. tr. 4. d. 52. cap. 1. P. Arriaga tom. 1. d. 9. sect. 8. & alios apud illos, qui omnes juxta varias sententias de constitutione Libertatis Divinæ communiter explicant hanc præsentem difficultatem, quas tamen hic non adducemus, tum quia jam de illis legimus in Logica tr. 5. d. 5. à n. 356. tum etiam quia ad alium locum spectat.

26. Plures igitur responsiones adhibent Recentiores, quas late referunt P. Soar. P. Herice. & P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 4. sect. 9. à n. 146. Alii enim dicunt, huiusmodi actus videri, visis creaturis aliquando futuris, & aliqua mutatione in ipsis facta, quin sit necessarium, actus ipsos in se primò attingi. Non placent, quia actus illi sunt cognoscibiles immediate in se ipsis, ergo non solum à posteriori per effectus. Alii asserunt, prædictos actus cognosci in Essentiâ Divinâ, tanquam in causâ cognitâ. Non etiam placent, quia nihil cognoscitur in alio cognito, nisi cum illo habeat connexionem necessariam; sed prædicti actus liberi non habent necessariam connexionem cum Essentiâ, cum hæc ad illos sit causa indifferens; ergo &c. Alii, & quidem non improbabili juxta P. Soar. cit. num. 11. affirmant, modum cognoscendi tales actus esse à nobis inexplicabilem, sed cum nostri muneris sit, etiam res difficiles exponere, his Doctoribus non acquiescimus, ut tamen sententiam nostram dicamus.

27. Advertendum est primò, actus Dei liberos addere supra necesarios aliquid, ratione cujus liberi denominantur, & distinguuntur ab actibus necessariis, & de hoc aliquo, quod addunt, variè varios sentire, ut diximus in Logica loco proximè citato. Secundò difficultatem hic posse procedere, aut in sententia eorum, qui asserunt actus Dei liberos addere supra necesarios aliquid realiter distinctum, ut asserit Caiet. 1. p. q. 19. a. 2. & 3. q. 1. a. 2. aut saltem aliquid virtualiter distinctum, ut asserunt P. Fons. 7. Met. cap. 8. q. 5. sect. 4. & 5. & P. Sal. 1. 2. q. 6. a. 3. tr. 3. d. 1. sect. 8. aut posse procedere in sententia eorum, qui affirmant actus Dei liberos addere supra necesarios, vel respectus rationis ad objectum, ut affirmant P. Mol. 1. p. q. 14. art. 15. & quest. 19. a. 2. cum Capreol. Hispal. Zumel. Bannez. Medin. Palu. & aliis: vel solam terminationem ad objectum contingens, ut affirmavimus in Log. tr. 5. d. 5. à num. 377. cum P. Soar. in Met. d. 30. sect. 9. num. 46. & sæpè alibi. P. Albertin. P. Granad. 1. part. quest. 19. d. 5. sect. 6. P. Marar. tom. 1. d. 32. sect. 2. P. Tanner. 1. part. d. 2. quest. 10. dub. 4. num. 14. P. Arriaga. de Voluntat. Dei. d. 28. P. Soar. Lust. de Animat. tract. 6. d. 3. num. 466. & aliis. His positis.

28. Dico 1. Actus Dei liberi, prout addunt supra necesarios aliquid virtualiter distinctum (& à fortiori si realiter distinctum addant) possunt in seipsis terminare Visionem beatam creatam, si vè constituendo intellectum in actu primo, illumque movendo effectivè ex parte objecti, si vè solum se habendo purè terminativè sine ullo influxu effectivo. Est communis inter Recentiores, Probatur prima pars, quia huiusmodi actus, prout sic sumpti, non sunt minùs efficaces ad constituendum intellectum creatum, in actu primo, illumque effectivè movendo loco speciei impressæ, atque sunt perfectiones divinæ Relativæ; siquidem in Deo absoluta non sunt inferiora Relativis; sed perfectiones

perfectiones divinæ Relativæ, ut supra probavimus, id sufficienter præstant; ergo &c. Probatur secunda pars eisdem rationibus, quibus infra probabimus, actus Dei liberos in sententia asserente solum addere supra necessarios respectum, aut terminationem ad extrinsecum, posse terminare Visionem beatam creatam, terminativè tantum se habendo ex parte objecti: Undè:

29. Dico 2. Actus Dei liberi, prout addunt supra necessarios solum respectus quosdam rationis, aut terminationem ad extrinsecum, etiam possunt terminare Visionem beatam creatam, tam effectivè, quam purè terminativè se habendo. Probatur prima pars de motione, & terminatione effectiva, quia juxta prædictam sententiam actus Dei liberi eandem prorsus entitatem vendicant cum necessariis, à quibus solum distinguuntur quoad nostrum modum cognoscendi ex connotatione creaturarum, quæ aliquando futuræ sunt; sed entitas illa movet, & movere potest effectivè intellectum Beati, ut cognoscat illos actus ut necessarios; ergo eadem sufficet ut illos sic cognoscat ut liberos per Visionem beatam.

30. Confirmatur primò, quia actus Dei necessarij majorem habent identitatem cum actibus liberis, quam habet accidens cum substantia, hæc enim ab illo realiter distinguitur; illorum autem eadem est entitas; sed species impressa immediatè elicit ab accidente concrecente cum substantia movet ad cognitionem & accidentis, & substantiæ realiter distinctæ, ut communiter tenent Philosophi; ergo à fortiori actus Dei necessarij movere poterunt effectivè ad visionem actus liberi.

31. Confirmatur secundò, optimoque exemplo in Divinis, quia eadem entitas movens intellectum ad cognoscendum actus Notionales, quæ origines activæ, & passivæ sunt, movet etiam ad eosdem cognoscendos, quæ Relationes sunt constitutivæ, & distinctivæ Personarum; sed hujusmodi actus quæ origines, & quæ Relationes solum distinguuntur secundum majorem, & minorem expressionem conceptuum, ut infra dicemus tract. 3. de Trinit. d. 2. à num. 146. ergo etiam eadem entitas, quæ movet ad videndum actus, quæ necessarios, movebit intellectum Beati ad videndum eosdem quæ liberos.

32. Probatur secunda pars, quod scilicet actus illi per Visionem beatam attingi possint, habendo se tantum terminativè, quin potentiam per se ipsos, aut per sui speciem immediatè moveant. Primò, quia concursus in actu primo ex parte objecti solum est necessarius ratione efficientiæ erga cognitionem, seu actum secundum cognoscendi efficiendum: tum quia juxta sententiam à nobis superius approbatam, Visio beata fieri potest absque ullo concursu effectivo ex parte potentiæ, & objecti simul concurrentis, quod fieri non posset, si species aliter, quam effectivè concurreret: tum etiam, quia in sententia P. Soar. pluribus in locis Metaphysicæ, species objectorum in cognitiones solum concursum effectivum exercent, & nullatenus repræsentativum, neque specificativum; sed Deus potest supplere omnem efficientiam, seu concursum effectivum, ut patet ex dictis, & omnes fatentur; ergo &c.

33. Probatur secundò, quia non repugnat fieri à Deo cognitionem creatam, quæ ratione sui luminis, entitatis individualis, aut extensionis veluti modalis attingat formaliter actus liberos, quin ab eisdem primò determinetur; ergo tunc cognoscantur, quin præstent aliquem concursum ef-

fectivum, sed solum terminativè se habendo. Dices: Hoc, quod est cognoscere objectum, quin ab eodem determinetur in actu primo, est proprium & peculiare solius Cognitionis Divinæ; ergo repugnat dari in aliqua cognitione creata. Respondeo solum esse proprium, & peculiare Cognitionis Divinæ id postulare ab intrinseco ratione suæ infinitatis, immutabilitatis, & omnimodæ independentiæ: quod tamen non tollit, quominus cognitio creata id habere possit communicatum ex miraculo, & privilegio, cum in hoc non appareat ulla repugnantia, aut ratio in contrarium.

SECTIO III.

*Virum creatura ita videatur in
Essentia Divina, seu Verbo, ut
constituant objectum secundarium
Visionis Beate?*



ADVERTES primò, idem esse querere: an videantur creaturæ in Essentia Divina, sive in Deo, atque inquirere: an videantur in Verbo? Siquidem, quacumque ratione aliquid videtur in Deo, dicitur videri in verbo, licet solum per quamdam appropriationem; sicut enim quæcunque dona gratiæ, licet à Deo, & tota Trinitate sint collata, appropriantur Spiritui Sancto, qui specialiter est Amor, & illa ex amore nascuntur: ita etiam quæcunque supernaturaliter in Deo, seu Essentia divina sunt cognita, dicuntur cognosci in verbo, ut potè quod specialiter per Intellectum, & Cognitionem Divinam procedit.

Advertes secundò, dupliciter posse aliquid in Deo videri: Primò causaliter, ita ut virtus Dei sit causa cur aliquid videatur, sive per speciem talis objecti, sive per revelationem; sicut homo dicitur in Deo aliquid peragere, nempe virtute Dei roboratus: Secundò formaliter, tanquam in objecto viso, & quæ ita videntur in verbo, dicuntur videri per Visionem beatam. Advertes tertio, ut aliquid dicatur objectum secundarium, duas exigere condiciones, prout jam supra diximus: Prima est, ut attingatur per eandem indivisibilem cognitionem, per quam attingitur primarium: Secunda est, ut cognoscatur ex vi primarii cogniti, ita ut primarium sit ratio cognoscendi secundarium. His positis.

Difficultas 1. Utrum Beati videant in Deo, sive in Verbo aliquas creaturas? Affirmativè. Est indubitata inter Theologos tum veteres, tum recentiores, ita ut sic indistinctè proposita à nullo possit rectè negari, ut dicit P. Fasol. 1. part. quæst. 12. art. 8. dub. 4. num. 34. Probatur primò autoritate Sanctior. Patr. D. Aug. lib. 4. de Genes. ad litt. cap. 23. & 24. & lib. 11. de Civit. cap. 7. ibi: Cognitio creatura in se ipsa decoloratur est, ut ita dicam, quam cum in Sapientia Dei cognoscitur, velut in arte, quæ facta est. Et cap. 29. ibi: Angeli sancti, inquit, ipsam quoque creaturam melius in Sapientia Dei, tanquam in arte, quæ facta est, quam in ea ipsa sciunt. Et D. Bern. lib. 5. de Considerat. in princip. loquens de Beatis civibus: Creatura, inquit, cali illa est, præsto habens per quod potius ista intueatur. Videt verbū, & in verbo facta per verbum. Et D. Isidor. lib. 1. sentent. cap. 12. n. 17. Angeli, inquit, in Verbo Dei cognoscunt omnia, antequam in re fiant. Et favet D. Pauli:

Paul 1. Cor. 13. ubi loquens de Visione beata, & de videndo non solum Verbum, sed etiam alia objecta, quæ scilicet corresponsdeant cognitioni ænigmatica per Fidem: *Videmus, ait, nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

37. Probatur secundò ratione, quia Deus est talis causa omnium creaturarum, ut non solum immediate creaturas ipsas, sed etiam quicquid ab illis producibile est, possit ipse producere; sed non potest producere, nisi quod in se eminenter continet; ergo sic eminenter continet, non solum ipsas creaturas, sed etiam earum imagines, & similitudines quascunque ab illis producibiles; ergo Beatus cognoscens intuitivè Deum, aliquas creaturas videre debet.

38. Difficultas 2. Utrum Beatus ita videat creaturas in Deo clarè viso, ut ipsæ constituant objectum secundarium Visionis beatæ? Affirmativè. Ita D. Aug. lib. 4. de gen. ad litter. cap. 23. & 24. & lib. 11. de Civit. cap. 7. & 29. D. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 33. & lib. 12. Moral. cap. 14. D. Bernard. lib. 5. de Considerat. ad Eugenium. D. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. q. 10. & q. 58. art. ult. & cum illo Thomistæ, Capreol. in 4. dist. 49. q. 6. Cajet. 1. p. q. 12. art. 8. Ferrar. 3. cont. gent. cap. 56. Sor. dist. 49. q. 3. art. 3. Zúmel. 1. p. q. 12. art. 8. Bannez. ibid. Navarret. contror. 48. Durand. dist. 14. q. 2. & in 4. dist. 49. Argentin. q. 2. art. 4. Et ex nostris P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 25. P. Gil. tom. 2. tr. 7. à cap. 11. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 8. d. 5. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 4. à n. 38. P. Valent. q. 12. pun. 6. P. Albert. q. 4. Theolog. P. Esol. 1. p. q. 12. art. 8. dub. 5. num. 37. P. Amicus tom. 1. d. 9. n. 361. P. Arrub. 1. p. q. 12. art. 6. d. 25. cap. 3. P. Granad. 1. p. q. 12. art. 8. tract. 6. d. 1. sect. 2. P. Tàmer. 1. part. d. 2. q. 6. dub. 8. P. Arriaga tom. 1. d. 10. à n. 42. & alii.

39. Probatur primò autoritate Sanctior. Patr. D. Aug. lib. 4. de gen. ad litter. cap. 24. *Universam, inquit, creaturam in ipso Verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium, quæ temporaliter factæ sunt, æterna rationes tanquam in eo, per quod factæ sunt, ac deinde in ipsa creatura: ex quibus verbis videtur manifestum cognitionem matutinam non applicari solum cognitioni creaturarum secundum illud, in quo distinguuntur à Creatore, sed simul etiam ipsi Deo, in quo cognoscuntur. Idem habet cap. 26. & lib. 65. quæst. q. 26. & lib. 11. de Civit. cap. 7. & 29. Et D. Bernard. ubi supra. Videt, inquit, verbum, & in verbo facta per verbum. Et D. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 33. Quia omnes, inquit, communi claritate Deum conspiciunt: ubi verba illa communi claritate clarè significant ex lumine, quo Beati vident Deum provenire etiam visionem creaturarum. Et D. Dionys. cap. 7. de divin. nomin. ibi: Si causa una Deus rebus omnibus statim largitur, eadem etiam causa una omnia, ut à se perfectæ, & in se ante constantia, cognoscer. Et Concil. Senonens. in Decret. Fidei Decret. 13. Beatis, inquit, pervium esse illud divinitatis speculum, in quo quicquid eorum interfit illucescat. Ubi videtur loqui de visione in divina Essentia, ut in objecto primario.*

40. Probatur secundò rationibus: Prima est, quia huiusmodi visio creaturarum in Verbo est possibilis: tum quia in ea nulla apparet repugnantia: tum quia Deus ipse cognoscendo se, in se ipso cognoscit, & videt creaturas; ergo non est deneganda Beatis. Probatur consequentia primò, quia Beatis concedenda est cognitio creaturarum perfectior; sed hæc eo ipso, quod habetur per principium longè excellentius, qualis est ipsa Essentia divina, est multò excellentior, & perfectior, quàm est si

Tom. 1.

habeatur per proprias species; ergo &c. Secundò, quia cognitio Beatorum, cum sit quædam participatio Cognitionis Divinæ, debet esse talis, ut Beati per illam Deo assimilentur; sed per huiusmodi cognitionem magis accedunt ad similitudinè Dei, utpote qui ipse in se ipso velut ratione cognoscendi, cognoscit, & videt creaturas; ergo &c.

41. Secunda est, quia Beati, ut ex superius dictis constat, vident clarè, & distinctè Essentiam, & omnia Attributa divina; sed difficillimè explicari potest, quomodo ea sic videant, & non simul etiam videant creaturas: tum, quia Attributa inter se virtualiter non distinguuntur, nisi per respectum ad creaturas: tum etiam, quia quædam Attributa, nempe Omnipotentia, Immenitas, & Aternitas, explicari à nobis non possunt sine respectu ad creaturas, utpote quæ ad illas dicunt ordinem transcendentalem, ut alibi diximus in Phys. tr. 2. d. 5. à num. 246. de Omnipotentia Divina; ergo &c.

42. Tertia est, quia qui cognoscit causam, cognoscit effectum, eoque perfectiùs, quò perfectiùs causa continet effectum, & clariùs ab intelligente cognoscitur; sed creaturæ continentur in Deo, ut in causa modo perfectiùs, & Deus ipse à Beatis clarè & quidditivè cognoscitur; ergo fieri potest, ut creaturæ in Deo veluti in causa, idque ex vi visionis Dei cognoscantur.

43. Dicent, qui cognoscit causam, cognoscere effectum, si sit causa creata, non verò increata. Sed contra, quia per se incredibile est, minorem vim habere ad representandum suum effectum causam increatam, quàm creatam, cum illa sit perfectior, & quò causa est perfectior, eò meliùs possit suum effectum representare; ergo si qui cognoscit causam creatam, cognoscit suum effectum, à fortiori ita fiet in causa increata.

44. Duplex adhuc in contrarium datur sententia: Prima asserit, creaturas videri quidem in verbo per Visionem beatam, non ex vi Essentiæ prius cognitæ, sed concomitanter, exercente ipsâ Essentiâ, aut se ipsâ, aut per suam Omnipotentiam rationem speciei intelligibilis creaturarum, quam cum similiter exerceat, dum est forma intelligibilis respectu sui, & suarum perfectionum, inde fit, ut per unam eandemque visionem, & videatur ipsa Essentia Divina, & in eadem concomitanter videantur etiam creaturæ. Ita P. Valent. 1. p. quæst. 12. punct. 6. quæst. 1. 2. & 4. Cabrer. 3. p. quæst. 10. art. 2. d. 1. §. Secundo convenit. Pesant. 1. p. quæst. 12. art. 10. d. 2. §. Notandum quod, Agid. lib. 5. de Beatit. q. 17. art. 4. & q. 18. art. 3. & Nominales apud P. Gil. tom. 2. tract. 7. cap. 14.

45. Rejicitur tamen, ut improbabilis, & impossibilis à P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 25. n. 45. & à P. Sal. 1. 2. tr. 2. d. 4. sect. 4. à n. 55. Primò, quia aut huiusmodi sententia loquitur de concursu speciei intelligibilis creaturarum effectivo, aut formali extrinseco: Non primum, neque enim de illo est quæstio; siquidem nullus dubitat, posse Deum supplere concursum cujuslibet causæ efficientis, qui tamen in re nostra absque formali extrinseco satis non est: Non secundum, cum sit impossibile: primò ex ipsâ rei naturâ; siquidem Essentia Divina, neque se ipsâ, neque per suam Omnipotentiam est intentionaliter, aut formaliter, aut etiam identicè creatura in Deo visa, cum hæc omnia imperfectionem involvant à Deo alienam; ergo supplere nequit concursum speciei intelligibilis creaturæ in ratione causæ formalis externæ; nam cum huiusmodi concursus specificativus sit cognitionis,

solum

O 2

solùm fieri potest à causa, quæ aut formaliter, aut intentionaliter contineat creaturas, qualiter illas non continet Essentia, quæ licet illas contineat eminenter, id non sufficit; siquidem continentia eminentialis solùm conducit ad hoc, ut Essentia cognita ducat in cognitionem creaturarum; sicut ex simili continentia qualibet causa rectè excitat ad cognitionem sui effectus: Secundo, quia nullus Philosophus asseruit, causam creatam, aut speciem illius intelligibilem, supplere posse concursum formalem speciei intelligibilis sui effectus, ita ut non cognita in cognitionem proprii effectus excitet.

46. Rejicitur secundò ex ipsa ratione visionis, quia visio creaturarum in Verbo solùm illa dici potest, quæ beatificat; sed hæc, cum esset creaturarum in se, & non in Verbo, ad summum enim haberi potest concomitanter cum visione Essentia, non ita beatificaret, ut patet; ergo impossibile est visionem creaturarum in Verbo ita prædicto modo exerceri.

47. Addo, etiam libenter dato cum Authoribus citatis, posse Essentiam Divinam ratione continentia eminentialis fortiri rationem speciei intelligibilis respectu creaturarum, quam sententiam supra probabilem diximus, juxta eam dici non posse, creaturas in Essentia, aut ex Essentia prædicto modo cognitatas pertinere ad objectum secundarium Visionis Beatæ, sed potius ad primum. Patet, quia in hujusmodi sententia non cognoscerentur creaturæ ex vi Essentia prius cognita, quæ est conditio necessaria ad rationem objecti secundarii, ut supra diximus, sed ad summum concomitater, & æquè primò cum ipsa Essentia Divina, sive per eandem cognitionem cum illa, sive per aliam diversam ab illa, juxta diversum loquendi modum istorum Authorum, qui illam sequuntur; ergo solùm possent constituere rationem objecti primarii, & nullo modo secundarii. Adhuc tamen.

48. Obijciunt 1. Potentia Divina solùm est denegandum, quod contradictionem involvit; sed nulla datur contradictio, aut repugnantia in eo, quod Essentia Divina concurrat loco speciei intelligibilis æquè primò ad sui, & creaturarum cognitionem, sicque Beatus per eandem cognitionem attingat concomitanter Deum, & creaturas absque ulla virtuali dependentia; ergo id fieri poterit. Respondet negando minorem, ut patet ex dictis; repugnat enim talis cognitio ut impossibilis; siquid neque Essentia divina potest esse species intelligibilis creaturarum, neque supplere illius concursus, solum formalem externum, ut diximus.

49. Obijciunt 2. Nihil potest à se ipso dependere; sed si creaturæ attingerentur ex vi Essentia prius cognita per eandem indivisibilem cognitionem, eadem cognitio quæ terminata ad creaturas dependeret à se quæ terminata ad Essentiam Divinam; ergo non dependeret, sed concomitanter cognoscuntur creaturæ in Verbo. Respondet majorem esse veram de dependentia ad plurimum reali per influxum, qui cum supponat rem existentem, nihil potest præsupponi existens ad se ipsum, alioqui esset prius, quàm esset, & existeret; sicque non potest à se ipso realiter dependere: non ita tamen est de dependentia virtuali, & quoad diversas partes virtualiter, & quoad nos distinctas, quales censentur dari in visione Beata prout terminatur ad Deum, & creaturas; sicut enim admittimus dependentiam realem inter partes realiter distinctas, ita nunc admittimus virtuales inter partes distinctas virtualiter; alioqui omnis discursus virtualis de medio tolleretur.

50. Obijciunt 3. Si Essentia Divina ob continen-

tiam eminentialem creaturarum esset ratio cognoscendi illas, sequeretur omnes illas cognosci per Visionem beatam; siquidem cum omnes æqualiter contineat, sicut est ratio cognoscendi aliquas, ita poterit esse ratio cognoscendi omnes; sed nullus admittit, quod per quamlibet Visionem Beatam cognoscantur omnes creaturæ, ut ex infra dicendis constabit; ergo &c. Respondet negando sequelam, si procedat de cognitione distincta omnium creaturarum; licet enim Essentia divina omnes creaturas contineat, & lumen gloriæ sufficiat ad quaslibet manifestandas, Deo tamen liberum est concurrere ad cognitionem aliquarum, & non omnium. Quomodo autem de facto id præstet? dicemus infra.

SECTIO IV.

Proponitur, & rejicitur secunda sententia, & argumenta in contrarium dissolvuntur.

SECUNDA Sententia nostræ opposita tenet, creaturas non cognosci in Verbo formaliter, hoc est, ita ut ipsa Dei Essentia prius cognita sit ratio illas cognoscendi, sed tantum causaliter, id est per revelationem, aut illuminationem factam ab ipso Verbo, & per proprias species creaturarum, ita tamen, ut prædicta cognitio ex Visione Dei resultet, sive per causalitatem physicam, sive per proportionem quamdam cum Beatitudine, & statu beatifico. Unde infer hæc sententia, quod quando Sancti Patres, & graviores Theologi dicunt, videri creaturas in Verbo, hujusmodi locutionem intelligendam esse de Visione in Verbo causaliter, prout diximus, & non formaliter. Ita tenent D. Bonavent. in 3. dist. 14. art. 2. quæst. 3. sine. Scot. q. 2. §. Sed si ista, Gabr. in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 1. Nota 3. Almai. ibid. quæst. 1. art. 1. & 2. dub. 1. Major. in 3. dist. 14. quæst. 3. & in 4. dist. 49. quæst. 16. Marfil. in 3. quæst. 10. art. 2. in 3. part. Ocham. in 4. quæst. 13. art. 2. Alliacens. in 1. quæst. 12. art. 3. §. His præmissis. Paludan. in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 2. quos citat, & sequitur P. Vasq. 1. part. d. 50. cap. 4. §. 6. P. Becan. tract. 1. cap. 9. quæst. 13. à num. 8. & alii. Unde immerito dicunt aliqui, quos tacitis nominibus citat P. Fasol. supra cit. hanc sententiam esse manifestum errorem in Fide, aut non admodum consentaneam Fidei, quæ censura videtur nimis gravis, cum tot gravissimi Authores illam sequantur. Igitur

Hæc sententia, quatenus negat Essentiam Divinam prius cognitam esse rationem cognoscendi creaturas, prout supra diximus in nostra, mihi non probatur, ut ex solutione fundamentorum illius constabit. Dato tamen, & non concessio, hujusmodi sententiam per possibile, aut impossibile esse veram, ex illa sequeretur, creaturas non cognosci in Verbo proprie, sed in se ipsis, ut liquidò apparet; imò neque pertinere ad objectum etiam secundarium Visionis Beatæ. Patet primò, quia creaturæ in hac sententia viderentur per revelationem, & species à Deo communicatas, consequenterque per cognitiones ad ipsas per se primò & immediate terminatas, ut illius Authores fatentur; ergo non essent objectum neque primum, neque secundarium Visionis Beatæ. Secundo, quia licet peculiare illa cognitiones ex Visione Dei causentur, quocumque modo id fiat, sive physice, sive

sive moraliter, non efficit, quod Visio Beatæ creaturas attingat in se ipsis, ut patet; ergo per illam non attinguntur creaturæ, neque ut objectum primarium, neque ut secundarium. Adhuc tamen:

53. Fundantur 1. Creaturæ dicuntur à Sanctis Patribus, & Theologis cognosci in Deo, sive in Verbo per Visionem Beatam; sed non ita cognoscuntur formaliter ex vi Essentiæ prius cognitæ; ergo casualiter modo explicato, cum non appareat modus illas cognoscendi melior, aut congruentior statui beatifico. Respondeo negando minorem, ut patet ex auctoritatibus, & rationibus supra adductis.

54. Instabis: Aut Essentia Divina esset ratio cognoscendi creaturas, quia hæc in illa continentur formaliter; & hoc non, utpotè apertè falsum: aut quia in illa continentur eminenter, sive tanquam in causa, sive tanquam in cognoscente; & hoc etiam non; siquidem quovis ex prædictis modis Essentia contineat creaturas, semper in sua entitate manet absoluta, sive quid absolutum in se absque ullo respectu, sive transcendentali, sive quali prædicamentali ad creaturas; ergo ex vi illius cognitæ nequeunt cognosci creaturæ. Respondeo negando minorem quoad secundam partem; creaturæ enim cognoscuntur in Deo, quia in eo continentur eminenter, hæc enim continentia eminentialis sufficit, ut Essentia Divina sit, tanquam causa, ratio cognoscendi creaturas, tanquam effectus, cum prout sic habeat cum illis connexionem, sive Omnipotentia, & aliæ perfectiones Divinæ sint solum relata secundum dici, sive secundum esse, de quo jam in *Physic. tract. 2. d. 5. à n. 246.*

55. Fundantur 2. Si supponamus, nullas creaturas esse possibles, uno excepto Angelo beato, Deus esset idem, qui modò; proindeque non aliter videretur, ac de facto videtur à Beatiss; sed Essentia in facta suppositione non esset ratio videndi creaturas, utpotè impossibiles. Major constat, quia Deus est omnino absolutus, & independens ab ullo respectu, & ordine ad creaturas; ergo licet hæc forent impossibiles, adhuc Deus maneret idem. Respondeo creaturas dupliciter posse supponi impossibiles, aut quia ex objecto implicent; aut quia non implicent contradictionem: Si hoc secundo modo, Deus intrinsicè non esset idem, qui modò est; siquidem illa impossibilitas non daretur ex parte objecti, sed ex parte Potentiæ Divinæ non potentis tunc illas producere, cum possit nunc producere illas: si primo illo modo, licet Deus maneret idem intrinsicè (quod alibi negavimus in *Physicâ loco proxime citato*), non tamen maneret idem extrinsecè, & quoad nos; siquidem non maneret cum denominatione Omnipotentis, & cum habitudinibus ad creaturas; ac proinde non posset cognosci eodem modo, quo de facto cognoscitur, saltem in ordine ad extrinsecum: sufficeret tamen, ut cognitus prout sic, esset ratio cognoscendi Angelum illum possibilem, ad verificandam nostram conclusionem.

56. Fundantur 3. Si Essentia Divina cognita esset ratio cognoscendi creaturas, sequeretur: primo, quemlibet Beatum videre omnes creaturas possibles; siquidem Essentia omnes æqualiter continet, & repræsentat: Secundò, dato, quod quilibet non omnes cognoscat, saltem eum, qui habuisset minora merita, posse esse magis Beatum cognoscendo plures creaturas spectantes

ad suum statum; siquidem hanc majorem cognitionem sibi vendicaret ex majori penetratione Essentiæ, in quo ratio majoris beatitudinis consistit; sed nulla ex sequelis est admittenda; ergo &c. Respondeo negando primam sequelam; neque enim opus est, quod Beatus Deum videns clarè, & distinctè, sic etiam videat omnes creaturas, ut jam supra diximus, & inferius ex professo dicemus: nam quod non omnes videantur, aut videantur hæc potius quam illæ, provenit ex lumine, & concursu Essentiæ sic, vel sic applicato. Quid dicendum sit ad secundam sequelam, ex inferius dicendis constabit.

57. Fundantur 4. Essentia Divina est actus purus; ergo non potest aliquid repræsentare, nisi purè, sive ad modum actus puri; sed creatura est essentialiter ens potentiale; ergo Essentia Divina non potest illam repræsentare; consequenterque neque Beatus illam cognoscere ex Essentia. Respondeo negando primam consequentiam; potest enim in Deo puro repræsentari creatura non pura; siquidem hujusmodi repræsentatio non fit per formalem, sed eminentialem continentiam creaturæ, quæ sicut sufficit, ut dicatur, licet sit impura, & potentialis, contineri in actu purissimo Essentiæ, ita sufficit, ut dicatur ab illâ repræsentari.

58. Fundantur 5. Essentia Divina non est propria species creaturarum; ergo hæc non possunt per illam videri visione intuitivâ, distinctâ, & expressâ. Respondeo non esse speciem creaturarum formaliter; esse tamen eminenter, quatenus eminenter continet, non solum objectum creatum, ejusque virtutem, sed etiam illius speciem & ipsius speciei virtutem, per quam tale objectum videri potest; sicque non minus clarè, & distinctè potest Deus ostendere creaturas per suam Essentiam, quàm ipsæ videri possint per proprias species.

59. Fundantur 6. Beati per Visionem Beatam cognoscunt res clarè, & distinctè, prout in se sunt; sed non ita possunt cognoscere creaturas in Essentiâ Divinâ; siquidem quod in alio, & non in se ipso cognoscitur, non cognoscitur distinctè, prout in se est, ut patet in Visione, quâ videmus imaginatum in imagine; & quâ Angelus in se ipso videt naturaliter Deum; ergo &c. Respondeo negando minorem; ad cujus probationem dicimus, esse veram de visione in alio tanquam in imagine, quæ aliquando est imperfecta, ut est imago Cæsaris ad illius cognitionem: aut tanquam in effectû, qui cum sit quid particulare, & determinatum, non potest continere, & demonstrare adequatè universalem virtutem causæ, & ita est in exemplis adductis: non ita tamen veram esse de visione in alio, ut in causa, quæ cum contineat, & superet suum effectum, potest in se ipsa illum distinctè repræsentare, & ita repræsentat Essentia Divina creaturas in se, & ex se cognoscibiles.

SECTIO V.

Utrum creatura cognoscantur in Deo à Beatis ut possibiles, futurae, & existentes?

60. **D**IFFICULTAS I. Utrum Beati de facto cognoscant in Deo aliquas creaturas possibiles, non tamen omnes? Antè resolutionem adverte, illam procedere de possibilibus cognitis distinctè, & determinatè, quia ut bene docet P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. n. 14. visa Dei Essentia Omnipotente, necesse est cognoscere omne producibile confusè, nempe sub conceptu communissimo possibilis, & creabilis. Hoc posito.

61. Dico 1. Beati de facto cognoscunt in Deo aliquas creaturas possibiles. Ita Magist. in 3. dist. 14. Hugo de Sanct. Victor. tom. 3. de Sapient. Christ. Aristodorus. lib. 3. tract. 1. cap. 5. Alens. 3. p. q. 13. memb. ult. Albert. in 3. dist. 14. art. 1. Bacon. q. 2. art. 4. §. 2. P. Granad. tom. 1. tract. 6. d. 1. sect. 6. quatenus omnes affirmant, Animam Christi Domini videre in Deo actu omnes creaturas tam possibiles, quam existentes, licet non eadem claritate, qua Deus ipse videt. Tenent etiam Durand. in 3. dist. 14. q. 2. & in 4. dist. 49. q. 3. n. 15. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 26. P. Recupit. lib. 6. q. 37. cap. 1. P. Arrub. 1. p. q. 12. d. 25. P. Alarcon. tract. 1. d. 4. cap. 4. & alii.

62. Probatur primò, quia Beati, ut ex supra dictis constat, vident in Deo aliquas creaturas; sed huiusmodi visio est potius creaturarum possibilium, quam futurarum, & existentium; siquidem illae creaturae debent potius videri in Essentia, quae cum illa maiorem habet connexionem; major autem cōnexio datur inter Deum, & creaturas possibiles, utpotè necessarias, quam inter Deum, & creaturas futuras, & existentes, utpotè contingentes; ergo aliquas possibiles vident in Deo.

63. Probatur secundò, quia percipiunt causam, & ejus virtutem connaturale est percipere aliquos ejus effectus possibiles eminenter contentos in ipsa causa; sed Beati Deum videntes, percipiunt ejus virtutem productivam possibilium, nempe Omnipotentiam; ergo aliqua saltem possibilia cognoscunt.

64. Dico 2. Beati de facto non vident in Deo omnes creaturas possibiles. Ita D. Thom. 3. p. q. 10. art. 2. & 3. contr. gent. cap. 56. & q. 8. de Verit. art. 4. Cater. ibid. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 60. Palud. in 3. dist. 14. q. 1. sine Capreol. q. 2. art. 1. & in 4. dist. 49. q. 6. art. 1. Sor. q. 3. art. 3. Argent. in 3. dist. 14. q. 1. art. 3. & in 4. dist. 49. q. 1. art. 4. Gonzal. 1. p. q. 12. d. 2. n. 21. quatenus asserunt à nullo intellectu creato videri posse omnes creaturas possibiles. Tenent etiam P. Soar. P. Recupit. P. Arrub. P. Alarcon. cit. & alii. Probatur, quia Beatus de facto videt Deum cognitione finita, & limitata in sua entitate; sed non ita videret, si talis cognitio attingeret distinctè omnia possibilia; siquidem cum haec sint infinita, infinita etiam foret illa in sua entitate; nam quò visio attingit plura, eò est entitativè perfectior; ergo Beatus de facto non cognoscit omnia possibilia. An verò de potentia absoluta possit omnia cognoscere? Ex infra dicendis d. ult. constabit.

65. Oppositum videntur sentire omnes Doctores supra citati num. 61. asserentes id habere actu Ani-

am Christi Domini. Idem etiam sentiunt Henrice quodlib. 7. q. 4. & 5. Godfred. quodlib. 6. q. 3. Bassol. q. 4. Prolog. art. 3. Durand. in 3. dist. 14. q. 2. & in 4. dist. 49. q. 3. & alii: pro quibus: Argues 1. ex illo D. Greg. lib. Dialog. cap. 33. & lib. 2. Moral. cap. 2. ibi: Quid est, quod non videant, qui videntem omnia vident; sed Beati de facto vident Deum videntem omnia possibilia; ergo omnia illa de facto in Deo vident. Respondeo mentem D. Greg. esse, Beatos de facto cognoscere omnia possibilia, quae ad uniuscujusque statum spectant; hoc enim manifestè colligitur ex eodem D. Greg. lib. 2. Mor. ubi ita habet: Quod de eis, quae scienda sunt nesciunt, qui scientem omnia sciunt.

Argues 2. Essentia divina aequaliter repraesentat omnia possibilia; sed non datur major ratio, cur intellectus elevatus lumine gloriae potius haec, quam illa cognoscat; non enim petenda est ex diverso lumine, aut diversa intensione visionis; siquidem tam lumina, quam visiones sunt ejusdem speciei; ergo omnia cognoscet. Respondeo negando minorem; diversa enim ratio petenda est, aut ex diversa ratione individuali, & intensione luminis; aut ex libera voluntate Dei concurrentis ad has potius, quam illas creaturas cognoscendas, prout latius infra dicemus.

Argues 3. Beatus in patria debet perfectè satisfieri quoad appetitum, & capacitatem cognoscendi; sed est capax cognitionis omnium possibilium, quae à Deo cognoscuntur; ergo omnia cognoscit. Respondeo quidquid sit de capacitate in ordine ad potentiam Dei absolutam, de qua infra; Beatum autem perfectè satiari sola visione ipsius Dei, qui est summum bonum, proindeque latè satians appetitum. Undè D. Aug. lib. 5. Confess. cap. 4. Infelix, inquit, ille homo, qui scit omnia illa, te autem nescit: Beatus, qui te scit, etiam si illa nesciat.

Argues 4. Anima Christi Domini de facto cognoscit omnia possibilia in Deo per Visionem beatam, ut patet ex illo ad Coloss. 2. ibi: In quo sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae Dei. Ad quem locum D. Chryl. Hom. 5. asserit, Christum Dominum omnia scire, & nihil ignorare: Dicendo thesaurum, inquit, ostendit multitudinem: dicendo vero omnes, enim nihil ignorare; ergo idem dicendum de Angelis, & reliquis Beatis. Respondeo cum P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 26. sect. 3. §. Dico 1. negando antecedens; nam juxta D. Thom. 3. p. q. 10. si Anima Christi Domini cognosceret in Deo omnia possibilia, Deum comprehenderet. Undè quando D. Chrylost. & alii alii Patres dicunt, Christum Dominum cognoscere omnia, intelligendi sunt de omnibus futuris, & existentibus. Addo, etiam admissio antecedente, cujus examen ad alium locum spectat, negandam esse consequentiam; diversa ratio esse potest, quia Animae Christi Domini, utpotè Deo unitae, debetur perfectissima, & infinita cognitio, si haec possibilis sit, non ita verò ceteris Beatis.

Difficultas 2. Utrum Beatus cognoscat in Deo creaturas futuras? Dico 1. Beati vident in Deo aliquas creaturas futuras. Ita D. Thom. 3. p. q. 12. a. 8. q. & 10. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 27. n. 10. P. Recupit. lib. 6. q. 38. cap. 1. P. Ribas, tr. 3. d. 10. cap. 2. & alii. Probatur primò, quia Visio Beata creata est quaedam perfectissima participatio Visionis Increateae, prout attingit ipsum Deum, & creaturas; sed Visio Increatea attingit ipsum Deum, & omnes creaturas futuras; ergo Visio beata creata attinget etiam Deum, & in Deo saltem aliquas creaturas futuras.

Probatur

70. Probatur secundò, quia ad complementum, & perfectionem beatitudinis spectat, ut in Beatis fiat omnis rationalis appetitus; sed intellectus creatus habet naturale desiderium sciendi futura; hinc enim olim apud Ethnicos tot consultationes oraculorum, tot responsiones aruspicum; imò & inter Christianos tot inanes astrorum observationes; & deinde Beatus habet desiderium valde rationabile sciendi, saltem aliqua futura, quæ saltem spectant ad proprium statum; ergo &c.

71. Contrarium defendunt Henric. quodlib. 3. q. 3. & Durand. in 4. dist. 49. q. 3. apud P. Ribas. cit. n. 4. licet P. Recupit. cit. cap. 2. num. 4. illum in contrarium adducat. Fundantur 1. Beati cognoscendo creaturas, illas cognoscunt in Essentia, sive ex Essentia tanquam ex ratione cognoscendi illas; sed nequit esse ratio cognoscendi illas, nisi ut possibiles; siquidem solum est ratio cognoscendi ut illarum causa, solum autem est causa illarum ut possibile, cum solum ut possibiles illas cõtineat; ergo non est ratio cognoscendi illas ut futuras, consequenterque Beati nullas creaturas futuras cognoscunt. Respondeo negando minorem; nam Essentia divina terminans Visionem beatam sumi potest, aut ut potens, aut ut volens producere, & cognoscens res producendas: Si primo modo, solum est ratio cognoscendi res possibiles; si tamen secundo, potest ducere in cognitionem rerum futurarum, ut infra latius dicemus.

72. Fundantur 2. Si Beati per Visionem Beatam cognoscerent aliqua futura, ut futura, quando postea hæc existunt, aut maneret eadem visio, quæ antea; aut non: Non primum; siquidem cum sit essentialiter representatio futuri, ut futuri, hoc variato per illius existentiam, non potest non ipsa variari, alioqui manebit falsa: Non secundum; nam si non maneret representativa rei futuræ, sed existentis, amitteret aliquid essentielle, quale est representare futurum, ut futurum, totaque visio destrueretur, & mutaretur, cum tamen sit immutabilis, & incorruptibilis, prout supra diximus; ergo Beati per Visionem beatam non cognoscunt futura.

73. Respondeo primò cum Oham. in 4. q. 13. art. 3. dicto 4. negando minorem quoad secundam partem; talis enim visio, inquit, mutaretur, quando res futura fieret præsens, desineretque visio rei futuræ, & succederet alia rei præsentis. Sed contra, quia Visio beatæ, ut supra probavimus, est immutabilis, & incorruptibilis, sicque unanimi consensu docent Theologi; sed talis non foret, si una desineret, & alia succederet, ut patet; imò foret deterioris conditionis, quàm lumen gloriæ; siquidem hoc semper invariatur persisteret; ergo &c.

74. Respondeo secundò cum P. Recupit. cit. cap. 3. num. 20. negando eandem minorem quoad primam partem; maneret enim eadem visio; siquidem Beati, (ut ipse dicit,) non cognoscunt rem futuram reduplicativè, nempe quæ futuram, sed solum specificativè, nempe rem, quæ est futura, & stat sub existentia præcendendo ab eo, quod sit futura, aut præsens; cum autem res, prout sic specificativè cognita, semper sit eadem, eadem est semper ipsa Visio illam attingens. Sed contra est, quia huiusmodi solutio stare non potest cum eo, quod idem P. Recupit. cap. 1. n. 2. asserit, nempe per Visionem beatam cognosci in Deo aliqua futura formaliter ex vi ipsius Visionis Dei; siquidem tum temporis Beatus non diceretur absolute cognoscere per Visionem beatam futuram, sed aliunde futuram, solum enim illam cognosceret sub

existentia habenda, quin per talem visionem sciret quo tempore habenda esset, an jam haberetur, ad hoc enim indigeret aliâ cognitione, quæ attingeret extra verbum talem differentiam temporis, quod concedit idem P. Recupit. cap. 3. n. 19. An autem id sit cognosci futura per Visionem beatam, ut ipse asserit? Ipse videat.

75. Respondeo igitur tertio melius, & facilius negando eandem minorem quoad primam partem, nam cum Beati per Visionem beatam cognoscant simul rem & futuram, quæ futuram, & præsentem, quæ præsentem, & præteritam, quæ præteritam, sicque pro omnibus illis differentiis temporis, in quibus respectivè acceptis res est futura, præsens, & præterita, inde optime salvatur immutabilitas, & incorruptibilitas Visionis beatæ. Pater, quia Visio beatæ modò attingens Antichristum futurum pro hoc præsentem tempore respectu cuius est futurus, quando postea Antichristus existet, non desinet illum attingere futurum pro illa differentia temporis respectivè sumptâ, in qua erat futurus, siquidem non attinget de novo existentem, & postea præteritum, quem jam antea pro illis differentiis temporis attingebat præsentem, & præteritum; ergo absque ulla mutatione ex parte ipsius visionis modò attingit Antichristum futurum, & illum postea attinget præsentem, & præteritum.

76. Confirmatur, quia Visio beatæ attingit creaturas, sive possibiles, sive futuras in ipsa visione, sive Scientiâ divinâ tanquam in objecto primario, prout supra probavimus; ergo eo modo illas attingit, quo in ipsâ Scientiâ divinâ representantur, & ab illa attinguntur, cum sit illius perfectissima participatio; sed Scientia divina ita representat, & attingit creaturas futuras, præsentis, & præteritis pro omnibus differentiis temporis, ut quando de facto existunt, aut prætereunt non mutetur, neque varietur; ergo idem similiter cum proportionem dicendum de Visione beatæ, quæ in illa ipsas creaturas prout sic attingit.

77. Dico 2. Non omnes Beati vident de facto in Deo omnes creaturas futuras. Ita D. Thom. 3. p. q. 10. art. 2. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 27. n. 5. & omnes illi, qui aut soli Animæ Christi Domini concedunt, aut Beatis Angelis negant scientiam omnium futurorum: tenet etiam P. Recupit. cit. cap. 4. num. 22. Probatur, quia Angeli Beati non cognoscunt in Deo omnes res futuras; siquidem neque sciunt diem Iudicii futuri ut patet ex illo Christi Domini Matth. 24. De die illa, inquit, & hora, nemo scit, neque Angeli Dei in Cælo; & dum unusquisque deprecabatur pro populo suo juxta illud Apocap. 7. Angelus clamavit voce magna quatuor Angelis: Nolite nocere terræ, & mari, &c. ostendit, se ignorasse, quid Deus facere disposuisset; ergo &c. Confirmatur, quia D. Dionys. de celest. Hierarch. cap. 7. & alii Patres affirmant, Angelos inferiores illuminari à superioribus; non autem illuminantur, nisi de illis, quæ ignorant; ergo &c.

78. Oppositum tenent aliqui apud Durand. in 4. dist. 49. quæst. 3. n. 10. existimantes à singulis Beatis videri in Deo omnia futura: Pro quibus: Obijciunt 1. Quilibet Beatus videt in Deo omnia decreta libera Voluntatis Divinæ; siquidem quilibet videt quidquid formaliter est in Deo; omnia autem decreta sunt in Deo formaliter; sed non potest omnia illa videre, quin etiam videat omnia futura; siquidem decreta Dei de futuris, cum sint efficacia, secum devolvunt ipsa futura; sicque illis cognitis necessario cognoscuntur omnia futura; ergo

ergo &c. Respondet P. Recupit. cit. num. 24. argumentum omnino convincere, si dicamus, decreta constitui in ratione liberi per terminationes ad futura, & hæc cognosci in ipsis decretis, tantum in ratione cognoscendi. Miror tamen tantum Authorem tam tenui difficultati tantam vim concedere: Unde adhuc duobus illis concessis.

79. Respondeo negando minorem: Primò, quia licet videat omnia decreta, cum multa sint futura, quæ tamen à Deo non sunt decreta; neque enim Deus decrevit peccata, non ideo sequitur videre omnia futura. Secundò, quia licet cognoscat omnia decreta, non illa cognoscit omnimodà distinctione, & cum omnibus habitudinibus distinctis in ordine ad omnia futura; sicque potest omnia illa, non tamen omnia ista cognoscere. Confirmatur, quia cognoscens Omnipotentiam formaliter, illà cognitā, non venit in cognitionem omnium possibilium, cum quibus habet necessariam connexionem, ut alibi diximus; siquidem illam non attingit distinctè secundum omnes habitudines, quas habet ad omnia possibilia; ergo similiter cognitis omnibus decretis, non est necesse, ut veniat in cognitionem omnium futurorum.

80. Objicies 2. Deus, qui est ratio ducens in cognitionem futurorum, omnia illa æqualiter continet; ergo in omnium cognitionem æqualiter ducit; consequenterque Beatus, qui aliqua, etiam omnia cognoscit. Respondeo negando ultimam consequentiam, diversa ratio est, tum ex parte Dei liberè volentis potius ad unius, quam alterius cognitionem concurrere, prout infra dicemus: tum ex parte objecti, quatenus conveniens est ratione statūs, ut quilibet specialiter cognoscat, quod ad illius proprium statum spectat, ut colligitur ex Concilio Senon. in Confess. Fidei cap. 13. ubi dicitur Beatis pervium esse uniforme illud Divinitatis speculum, in quo quidquid eorum interfit, illucescat.

81. Objicies 3. Idèd de facto nullus Beatus habet in Verbo cognitionem omnium possibilium, quia ex illa sequeretur ipsius Verbi comprehensio; sed non ita sequeretur ex cognitione omnium futurorum, cum hæc sint finita; ergo poterit de facto Beatis concedi. Respondeo negando consequentiam, nam si cognitio omnium possibilium in Verbo foret possibilis, ea de facto soli Christo Domino concederetur, & non aliis; sicut ei soli, & non aliis conceditur cognitio omnium futurorum in Verbo; siquidem cognitio futurorum, ut diximus, sicut & existentium, ut dicemus, solum conceditur ratione statūs, ita ut quisque ea tantum cognoscat futura, quæ ad suum statum spectant.

82. Inferes: Ergo poterit Beatus habens Visionem minùs claram cognoscere plura futura, quàm qui habet visionem magis claram, si v.g. dentur plura futura pertinentia ad ejus statum; sicque D. Ignatius ratione suæ magnæ Familiæ Societatis JESU videbit plura futura, quàm S. Stephanus Protomartyr, aut S. Laurentius, quod non videtur dicendum. Respondeo concedendo sequelam, & ejus probationem; neque enim ex illa sequeretur, habentem clariorem visionem, videntem tamen pauciora futura, esse minùs, imò magis Beatum; siquidem cognosceret in Deo plures perfectiones, eminentias, & habitudines, ac ex vi illarum tot creaturas possibiles, ut superaret numerum futurorum, quæ alius Beatus cognosceret.

83. Objicies 4. Idèd diximus, Angelos non cognoscere omnia futura, quia de illis dicitur, ignora-

re diem Judicii juxta illud Matt. 24. 36. supra adductum; sed ex hoc non colligitur, eos simpliciter ignorare talem diem: alioqui idem diceremus de Christo Domino, de quo etiam dicitur, ipsum diem ignorare Marc. 13. 32. ibi: *De die autem illo, vel hora, nemo scit, neque Angeli in celo, neque Filius, nisi Pater*: quod non est dicendum, cum Theologi communiter pro comperto habeant, Animam Christi Domini cognovisse omnia futura; ergo sicut Sancti Patres locum illum interpretantur de Christo Domino non simpliciter, & ut sonat, sed cum nescire, ut dicat, & doceat, ita poterit de Angelis interpretari. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem dicimus cum P. Granad. 1. p. 11. d. 12. sect. 9. n. 54. dari specialem rationem in Christo Domino, cur non excludatur simpliciter à cognitione illius diei, & excludantur Angeli, quatenus ad Christum ut Filium, & tanquam supremum Judicem valde spectat scire diem, in quo suprema sententia ferenda est; sicque de illo non possumus verba illa interpretari propriè, & ut sonant, maxime autem de Angelis debent, ut sonant, & propriè interpretari, cum ad aliud nulla sit ratio cogens.

SECTIO VI.

De cognitione rerum existentium in Beatis.

DIFFICULTAS 1. Utrum Beati de facto cognoscant in Verbo creaturas existentes? Affirmativè. Ita D. Thom. 3. p. quæst. 12. art. 8. q. 10. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 27. num. 10. P. Compton. tom. 1. d. 18. sect. 9. num. 1. P. Herice. tract. 4. d. 52. cap. 2. n. 26. & alii. Probatum primò autoritate Concilii Senon. de Confess. Fidei cap. 13. ubi definitur Beatis pervium esse uniforme illud Divinitatis speculum, in quo quidquid eorum interfit, illucescat. Et D. Aug. lib. 13. Confess. cap. 15. Vident enim, inquit, faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit voluntas tua. Et lib. 63. quæst. q. 20. Ipsa creatura, inquit, plus videtur in arte, qua facta est, quàm ipsa in se ipsa, qua facta est. Et D. Bernard. lib. 5. de Considerat. ad Eugenium, cap. 4. Vident, inquit, Verbum, & in Verbo facta per Verbum. Et D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 2. Quid non vident, qui videntem omnia vident. Ex quibus satis constat, Beatos, non solum creaturas possibiles, sed etiam existentes in Verbo videre.

Probatum secundò rationibus: Prima est, quia in hoc nulla datur contradictio, aut implicancia; nulla enim apparet; ergo &c. Secunda, quia Deus potest hujusmodi res secundum suas existentias manifestare per aliquam scientiam per se infusam; ergo multò magis per scientiam Beatam, cum sit altioris ordinis. Tertia, quia Anima Christi Domini, ut est communis Theologorum sententia, videt in Verbo quidquid Deus per scientiam Visionis, ita ut id negare, nec pium, nec prudens, nec probabile sit, ut ait P. Soar. cit. num. 10. ergo sic poterunt videre alii Beati aliquas creaturas existentes. Quarta, quia ut infra dicemus, Beati vident in Verbo mysteria fidei; hæc autem sunt facta, non enim solum credimus, posse Deum hæc facere, sed fecisse; ergo &c.

Difficultas 2. Quot & qualesnam in Deo creaturas de facto videant Beati? Cum jam dixerimus Beatos videre in Verbo tum res possibiles, tum

futuras, tum existentes, superest nunc inquirere quot & quales de facto videant; de hac re multa multi dixerunt, omnia tamen, quia valde incerta, ad tria possunt capita revocari, Primum esse potest de Mysteriis Fidei, & rebus supernaturalibus: Secundum, de naturalibus: Tertium, de actibus liberis, & contingentibus, tam presentibus, quam futuris creaturarum. His positis.

87. Dico 1. Omnes Beati vident in Verbo omnia mysteria Fidei, quæ in via crediderunt. Ita D. Thom. 1. p. q. 1. art. 2. & 2. q. 1. art. 1. & 1. 2. quest. 4. art. 3. P. Molin. P. Valent. P. Compton. tomo 1. d. 18. sect. 6. num. 11. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 28. num. 2. Ubi, inquit, aliquos putare contrarium erroneum esse, aut ut minimum parum tutum, & consentaneum fidei. Probatur primò, ex illo 1. Cor. 3. Ex parte cognoscimus, cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est. Et 2. Cor. 3. Nos autem revelata facie, gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, idest, inquit D. August. epist. 112. cap. 21. A claritate fidei in gloriam contemplationis aternæ. Et lib. 15. de Trinit. cap. 8. Transformamur, inquit, de forma in formam, idest, de obscura in lucidam, de gloria fidei, in gloriam speciei. Et lib. 20. de Civit. cap. 21. ibi: Quid videbimus, inquit, nisi Deum. & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes. Et D. Gregor. lib. 18. Moral. cap. ultim. Quæ visio, inquit, nunc fide inchoatur, tunc in speciem perficitur. Idem habent D. Ambr. D. Anselm. & D. Thom. ad loca D. Pauli proximè citata.

88. Probatur secundò rationibus: Prima, quia fideles rationabiliter cupiunt videre quæ credunt; sed id facili, & perfectiori modo fieri potest; ergo verisimile est hoc iustum eorum desiderium explendum esse ipsa beatitudine essentiali. Secunda, quia huiusmodi visio est præmium valde consentaneum eorum fidei; ergo &c. Tertia, quia Beati, visio Deo, necessariò vident Mysteria Fidei, quæ ad ipsam Divinitatem spectant: quæ autem spectant ad Christi Humanitatem, partim videri non possunt perfectè extra Verbum, & partim sunt quasi proprietates consequentes mysterium Incarnationis, quo visio, valde expedit cætera videri; ergo &c.

89. Obijcies 1. Angeli Beati, cum Christus Dominus Cælos ascendit, videbantur ignorare Mysterium Incarnationis juxta illud Psalm. 23. Quis est iste Rex gloria: Et illud Isai. 63. Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus; ergo non cognoscunt Mysteria Fidei. Respondeo negando antecedens: talia enim verba non sunt ignorantium, sed admirantium, ut explicat Origen. in Matt. Aut si quidem Angeli non plenè cognoscentes Mysterium Incarnationis admirantur, ut ait D. Hieron. ad locum Isai. cit. non ex eo est, quod illud simpliciter ignorabant, sed quia cum Mysterium Unionis Hypostaticæ sit incomprehensibile, Angeli inferiores edoceri cupiebant à Superioribus illud clariùs intelligentibus, & cognoscentibus, ut dicit D. Dionys. de Cælest. Hierarch. cap. 5.

90. Obijcies 2. Non omnes Fideles habuerunt in via actus fidei circa omnia Mysteria Fidei; ergo saltem illi non habebunt in patria cognitionem claram omnium mysteriorum. Respondeo primò, dummodò illam habeant eorum, quæ crediderunt in via, satis esse; sic enim procedit conclusio. Respondeo secundò, negando consequentiam, quia saltem dicti fideles fuerunt in animi præparatione ad credendū quicquid Deus revelaverat, sicq; illis ex congruentia debetur omnium clara visio.

Tomo 1.

Obijcies 3. Infantes decedentes post Baptismum nullum omnino actum habuerunt circa Mysteria fidei; ergo saltem illi non illa videbunt in Verbo. Respondeo negando consequentiam; quia prædicti infantes simul cum gratia receperunt habitum fidei infusum, & circa illa, quæ sunt communia omnibus, suppletur ex meritis Christi Domini, quod ex proprio haberi nequit.

Hinc colliges primò cum P. Soar. cit. num. 7. Mysteria illa, quæ existunt in uno tantum individuo, qualia sunt Divinitatis, Incarnationis, & quæ in speciali creduntur de Humanitate Christi, & Beatissimæ Virgine, etiam in individuo videnda esse: tum quia ita creduntur: tum etiam quia id spectat ad exactam, & perfectam eorum scientiam. Secundò, quæ non in uno, sed in variis individuis existunt, cujusmodi sunt mysteria Eucharistiæ, Resurrectionis, & similia, non oportere videri in omnibus individuis: tum quia id necessarium non est ad eorum perfectam cognitionem: tum etiam quia absolute non creduntur in omnibus individuis, sed aut confusè, aut sub ratione communi: credibile tamen est videri in aliquibus individuis, quæ præcipua fuerint, ut visio sit magis clara, & distincta. Tertiò cum P. Recupit. lib. 6. q. 39. n. 21. & 22. videnda etiam esse objecta fidei, etiam levioris momenti, qualia sunt, Tobiam habuisse canem, peregrinationem Abraham, exitum populi hæbraici ex Aegypto, & similia.

Dico 2. Omnes Beati vident in Verbo hujus Universi machinam, compositionem, & ordinem, saltem quoad rerum species. Ita D. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. ad 4. & lib. 3. contr. gent. cap. 59. Ferrar. ibid. Sor. in 4. dist. 49. quest. 3. art. 3. concl. 6. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 28. num. 8. P. Valent. 1. part. q. 12. pun. 6. P. Mol. ibid. art. 8. d. 5. P. Compton. tomo 1. d. 18. sect. 6. num. 10. P. Herice. tr. 4. d. 52. cap. 3. num. 33. P. Arriaga 1. p. d. 11. sect. 6. num. 39. & alii. Probatur primò autoritate Concil. Senon. cit. ubi dicitur Beatis esse pervium speculum Divinitatis, in quo eis illucescat, quicquid eorum inter sit. Et ex doctrina D. Aug. dicentis, Angelos videre in Verbo omnia opera sex dierum. Et D. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 33. ibi: Quid est, inquit, quod non vident, qui videntem omnia vident.

Probatur secundò ex D. Thom. cit. Beatus naturaliter appetit hæc omnia scire; utpotè qui eorum omnium habet capacitatem, ut sciat; sed Beatitudo illa explet omnem ordinatum appetitum, etiam naturalem; ergo &c. Dicent primò, hanc rationem videri infirmam; siquidem, aut D. Thom. loquitur de capacitate absoluta intellectus; aut de proxima per lumen gloriæ: Non primum; siquidem, cum prout sic, non solum sit capax scientiæ rerum, quæ factæ sunt, sed etiam omnium possibilem, aut Beati vident omnia possibilem, quod non dicit; aut ratio nihil probat de his, quæ factæ sunt: Non secundum; sic enim petitur principium; nam id inquiremus: an scilicet Beatus per lumen gloriæ sit proximè capax videntis hæc omnia in Verbo; ergo &c. Respondeo nullo ex his modis locutum fuisse Angelicum Doctorem; sicut neque de solo appetitu innato, qui fundatur in sola capacitate remota, aut est idem cum illa, sed de elicito rationabili, & consentaneo naturæ humanæ, supposito ordine constituto à Deo in suis operibus. Unde:

Probatur tertiò eadem ratione D. Thom. sic: Omnis Beatus de facto satiatur cognitione earum rerum, quarum sciendarum habet naturalem, & rationabilem appetitum, ut omnes fatentur; sed

P

omnis

omnis homo appetit naturaliter, & rationabiliter scire omnes naturas rerum sibi in mundo coexistentium, quas aut videt, aut videre potest; ergo omnes illas in Deo cognoscet factus Beatus.

96. Dicent secundò, ex hoc non sequi, debere id fieri per Visionem Beatam, cum satis sit, quod per aliquam perfectionem ab ipsa manantem id fiat. Respondeo argumentum ad plurimum solùm concludere, assertionem non esse omnino certam; non tamen non esse valde probabilem; siquidem cum huiusmodi appetitus expleri possit per Visionem beatam, sicque modo perfectiori, & aliunde nihil obstat, quominus ita fiat, credibile est ita fieri. Accedit, quod ita poterunt semper in actu habere totam illam scientiam; hoc enim valde spectat ad modum perfectum explendi huiusmodi appetitum.

97. Confirmatur primò, quia omnis scientia naturalis, quæ ab homine comparatur pro hac vita, aut est Metaphysica, aut Physica, aut Mathematica; sed Beatus cognoscens in Deo existentium rerum genera, species, & earum rationes, nempe definitiones, essentias, & proprietates, assequitur perfectissimè tres illas Scientias; consequenterque satiatur quoad appetitum habendi illas; ergo &c. Secundò, quia Angelis inditæ fuerunt harum omnium rerum species, eisque debetur illarum cognitio ex perfectione naturali intellectuali; ergo non est cur id negemus animæ beatæ elevatæ ad Visionem beatam; cum ad hoc negandum nulla sit ratio conveniens, neque convincens. Adhuc tamen:

98. Quæres 1. Utrum præcedens conclusio intelligenda sit de omnibus speciebus, tam perfectis, quam imperfectis? Affirmativè. Ita *P. Soar. cit. num. 10*. Probatur primò, quia nulla datur necessitas, ut addamus limitationem hanc, quoad species scilicet tantum perfectas. Secundò, quia tota hæc varietas specierum pertinet ad perfectionem universi; & cuiusque naturæ, etiam imperfectæ cognitio, est perfectio intellectus, & si in Deo videatur, est signum perfectioris Visionis Dei, cæteris paribus; ergo &c.

99. Quæres 2. Utrum intelligenda sit de speciebus, tam naturalibus, quam supernaturalibus? Affirmativè. Ita *P. Soar. cit.* Probatur, quia cognitio specierum, tam naturalium, quam supernaturalium spectantium ad ordinem universi, sive ad potentiam ordinariam, est maxima perfectio, & valde consentanea appetitui naturali, quem omnes habemus, supposita fide; ergo &c.

100. Quæres 3. Utrum sit etiam intelligenda de individuis? Affirmativè. Ita *P. Soar. cit. n. 13*. Probatur, quia horum cognitio est maxima perfectio intellectus appetentis illa scire, & cognoscere; ergo &c. Advertes tamen primò, non oportere, ut Beati videant omnia individua corruptibilia, præsertim multa, quæ ad eorum statum sunt impertinentia. Secundò, omnes videre in singulis speciebus individua illa, quæ sufficiunt ad cognoscendam distinctè naturam specificam, & aliquam proprietatem illius varietatem. Similiter ea, quæ ad prudentiam, & providentiam statui uniuscujusque convenientem, necessaria, & opportuna sunt.

101. Terriò, rationem cur in perfectionibus divinis à Beato cognitæ hæc potius, quam illa individua cognoscantur: aut plura potius, quam pauciora, cum tamen omnia ex æquo represententur, & contineantur in Deo, petendam esse causaliter quidem ab ipso Deo, ut à causa universali determinante intellectum, & lumen gloriæ peculiari

concurfu: formaliter verò ab ipsa visione secundum suam rationem individuaalem intrinsecam, aut secundum extensionem entitativam, prout infra latius explicabimus.

Dico 3. Omnis Beatus videt in Deo, & se ipsum, & alios Beatos. Est communis Theologorum cum D. Thom. cit. Probatur primò auctoritate D. Aug. lib. de tripl. habitaculo cap. ult. ibi: Sicut, inquit, per speculum trina nobis visio administratur, quia & nos ipsos, & speculum, & quicquid præsens adest videmus: Sic per speculum divina claritatis, & ipsum Deum, ut est, videbimus, & nos ipsos, & creaturas verà, & certà scientiā cognoscemus. Secundò ratione jam assignata, quia uniuscujusque individui intellectus naturalis, & rationabile desiderium est, & se ipsum, & omnes, quibuscum societatem, & amicitiam init, probè cognoscere; ergo &c.

Dices: Sequitur ex hoc, quemlibet Beatum ab initio suæ Beatitudinis cognoscere omnes Beatos futuros; sed hoc non est dicendum; alioquin sequeretur etiam videre omnia decreta libera divinæ prædestinationis, quod non admittitur; ergo &c. Respondeo negando minorem, & illius probationem: quilibet enim Beatus videret aliorum prædestinationes, si prædestinatio accipiatur pro sola electione ad gloriam; non ita verò, si sumatur, prout includit seriem omnium mediorum ad gloriam; sic enim solùm patebit illis Beatis, ad quos specialiter spectat, v. g. patronis.

Dico 4. Beatus non videt in Verbo neque cogitationes cordis aliorum Beatorum, neque eorum Visiones beatas. Ita *P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 28. n. 16. P. Recupit. lib. 6. q. 39. n. 9. & 10. & alii*. Probatur prima pars primò, quia hoc neque est necessarium, neque verisimile. Secundò, quia non est consentaneum creaturis intellectuales, & liberis. Terriò, quia sequeretur, quod Beati inferiores viderent omnia cogitata superiorum: imò quod omnes viderent quicquid Anima Christi agere disponit per voluntatem creatam, quæ non sunt dicenda; ergo &c.

Probatur secunda pars, quia si quilibet Beatus videret in Verbo singulas singulorum Beatorum visiones, sequeretur videre etiam omnia omnino futura; siquidem cum omnia futura saltem divinis represententur in omnibus visionibus secundariis, & omnia simul in una Visione Christi Domini, & in hac sola, & in illis omnibus videret omnia omnino futura; sed hoc est contra communem Theologorum sensum, qui id specialiter concedunt Christo Domino; ergo &c.

Dices: Eodem modo se habet Visio Increata Dei respectu Beatorum cognoscentium, quo se habet Visio creata Christi Domini; sed quilibet Beatus videt Visionem Dei Increatam, quæ est expressio omnium possibilem, & futurorum, quin in ea videat abstractivè omnia possiblem, aut futura; ergo sic poterit videre Visionem creatam Christi Domini, & alias aliorum Beatorum, quin videat in eis omnia futura representata. Respondeo negando majorem; disparitas est, quia Visio Dei Increata est magis absoluta, & independens à suo objecto, à quo neque speciem, neque individuationem accepit, sicq; non ita est cum illo connexa, ut semel cognita, ex illa cognoscantur omnia, quæ ipsa attingit: quod aliter est in visione creatâ Christi Domini, & aliorum Beatorum, ut patet.

Dico 5. Beati vident in Verbo omnia illa, quæ spectant ad illorum statum, dignitatem, aut officium. Ita

Ita D. Thom. 3. p. q. 10. art. 2. & alibi sæpè. Ferrar. lib. 3. contr. gent. cap. 59. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 8. d. 5. memb. 3. P. Valent. ibid. punct. 6. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 28. num. 15. & 16. P. Granad. 1. p. tract. 6. d. 1. sect. 9. n. 59. P. Tanner. 1. p. d. 2. q. 6. dub. 10. n. 7. P. Esfol. 1. p. q. 12. art. 8. dub. 23. n. 130. P. Compton. tom. 1. d. 18. sect. 7. n. 1. P. Herice tract. 4. d. 52. cap. 3. n. 37. P. Arriaga 1. p. d. 11. sect. 6. n. 39. & alii. Probatur primò authoritate Concil. Senon. cit. quod id significavit verbo illo: Quod eorum intersit. Et D. Greg. lib. 2. Mor. cap. 2. Quid non vident, &c. quod scilicet ad eos pertineat. Secundò ratione, quâ supra, quia Beati appetitu valde consentaneo, & rationabili cupient hæc cognoscere, & potest per visionem eorum in Verbo perfectius huiusmodi appetitus satiari; ergo &c.

108. Obijcies 1. Hebræi valde pertinent ad Abraham omnium parentem; & tamen Abraham eos ignorabat juxta illud Isai. 63. Abraham nescivit nos. Deinde 4. Reg. 22. 20. dixit Deus Josiæ Regi: Colligeris ad sepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum; & tamen ad illum ut Regem spectabat populus, cui erant mala inducenda; ergo Sancti non vident in Deo omnes eventus ad se spectantes. Respondeo primò, neque Abraham, neque Josiam tum temporis esse Beatos, de quibus procedit conclusio. Respondeo secundò, primum locum intelligendum esse de scientia approbationis, quasi Abraham nesciret, id est, non approbaret Hebræos prævaricantes, sicut dixit Christus Matt. 25. Nescio vos: Secundum autem intelligendum de notitia afferente molestiam, & dolorem, qualis solum datur in hac vita.

109. Obijcies 2. D. August. lib. de cura pro mortuis habenda, ibi: Nesciunt, inquit, mortui, etiam Sancti, quid agant vivi, etiam eorum Filii; ergo &c. Respondeo cum D. Thom. 2. 2. q. 82. art. 4. ad 2. D. August. locutum de mortuis cognoscens solum naturaliter, de qua cognitione non loquimur.

110. Hinc colliges Religionum Fundatores videre suorum Ordinum progressum: Sanctos Reges regionum, quas administrarunt, varietatem: Summos Pontifices totius Ecclesiæ successum: & Animam Christi Domini omnia omnino in quacumque differentiâ temporis existentia, utpotè quod omnia ad eorum statum spectant. Utrum autem ex his pertineant ad statum Beati solum ea, quæ hinc reliquit in instanti mortis suæ: an etiam, quæ postea fiunt? Primum tenet Caiet. 3. p. q. 10. art. 2. Secundum tamen, & melius affirmat P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 28. num. 17. siquidem ratio supra facta æquè procedit de omnibus.

111. Dico 6. Omnes Beati vident in Verbo aliquos generales eventus Ecclesiæ, qui ad statum ipsius Ecclesiæ spectant. Ita P. Recupit. lib. 6. q. 39. n. 15. & alii. Probatur, quia ad statum Beatorum spectat intercedere pro statu Ecclesiæ, ut rectè docet D. Laurent. Justin. ferm. de solemnitate Sanctorum. sed ad huiusmodi intercessionem requiritur cognitio eventuum, saltem generalium totius Ecclesiæ; ergo &c. Confirmatur, quia rationabile est desiderium, quod Beati habent cognoscendi huiusmodi eventus; ergo &c.

112. Dico 7. Quilibet Beatus videt in Verbo quidquid spectat ad ordinem, & seriem suæ prædestinationis. Ita P. Amicus tom. 1. d. 9. sect. 23. num. 446. Probatur, quia totus hic ordo exigitur à pio, & rationabili desiderio Sanctorum, quatenus prout sic perfectius cognoscant Incretam illam

Tom. 1.

Bonitatem, quam tam magnificè Deus erga illos ostendit; ergo ut hoc eorum desiderium perfectius satiatur, per Visionem beatam, ut fieri non repugnat, totum hunc suæ prædestinationis ordinem vident in Verbo.

Dico 8. Beati vident in Verbo preces, & orationes quæ in Ecclesia ad ipsos funduntur à viatoribus, & eorum cogitationes cordium spectantes ad proprium statum. Ita D. Thom. 3. p. q. 10. art. 2. & in 4. dist. 45. q. 3. a. 5. & 2. 2. q. 83. art. 4. & Caiet. ibid. ad 2. Magist. in 4. q. 3. dist. 45. cap. penult. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 60. Sor. in 4. dist. 49. q. 3. art. 3. Gabr. lect. 31. in Cano. litt. E. P. Molin. 1. p. q. 12. a. 8. d. 5. P. Valent. ibid. punct. 6. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 28. n. 18. P. Herice tract. 4. d. 52. cap. 3. num. 38. P. Bellarm. tom. 1. lib. 1. de Beatit. Sanctior. cap. 20. P. Arriaga tom. 1. in 1. p. d. 11. sect. 6. n. 39. P. Compton. tom. 1. d. 18. sect. 7. n. 11. & alii. Probatur primò authoritate Concil. Senon. cit. in Decret. Fidei cap. 13. ubi maximè favet huic resolutioni. Et D. Greg. lib. 2. Mor. cap. 13. ibi: Anima, inquit, quæ intus Omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quod sit foris aliquid, quod ignorent: de iis intellige, quæ ad proprium statum spectant; maximè autem spectat orationes ad illas fusas scire; ergo &c.

Probatur secundò rationibus: Prima, quia hoc est valde consentaneum consuetudini Ecclesiæ, & modo ab illa præscripto, quo ad Sanctos preces fundimus; supponit enim, eos actu videre has nostras actiones ex vi suæ Visionis Beatæ. Secunda, quia idè fortasse potius nunc, quam in veteri Testamento oramus ad Sanctos Beatos, quatenus nunc, non autem tunc mortui Deum videbant. Tertia, quia Beati rationabili desiderio cupient cognoscere eos, qui in hac vita ipsos speciali amore prosequuntur, honorant, & cum eis loquuntur; hic autem appetitus altiori modo satiabitur, & satiari potest per visionem in Verbo; ergo &c.

Obijcies 1. Beatus in Verbo habet simul omnem cognitionem creaturarum, nè accessu novæ cognitionis, sive objecti de novo cogniti ipsa visio mutetur; sed preces, & cordium cogitationes in viatoribus existunt successivè; ergo illas non cognoscit Beatus in Verbo per visionem. Respondeo negando consequentiam: Beatus enim simul videt in verbo res futuras, existentes, & præteritas pro illa differentia temporis, in quo sunt futuræ præsentis, & præteritæ, prout supra diximus n. 75.

Inferes: Ergo vident ab initio suæ Beatitudinis preces omnes ad illos fundendas usque ad tempus Antichristi, & diem Judicii; consequenterque scient, quando futurus sit talis dies, contra illud Christi Domini Marc. 13. 32. De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater. Variè varii huic illationi respondent, de qua jam supra n. 83. Respondent primò cum Ferrar. 3. contr. gent. cap. 59. huiusmodi preces non videri simul ab initio beatitudinis, sed successivè, prout suo tempore fiunt. Non placent, quia Visio beata, prout supra diximus, est immutabilis; talis autem successio non fieret absque mutatione in ipsa visione, ut etiam diximus.

Respondent secundò cum aliis apud P. Arriag. cit. num. 40. Beatos omnia hæc simul videre, & scire, sicut & ipsum diem Judicii, licet non possint enim aliis revelare: quo sensu de se ipso dixit Christus Dominus: Neque Filius: non quia etiam ut homo illum nesciret, sed quia eum aliis noluerit revelare. Et hanc resolutionem dicunt

P 2

proba-

probabilem ipse P. Arriaga; de qua tamen jam supra num. 83.

118. Respondeo tertio negando illationem quoad ultimam partem: nam bene poterunt scire preces & orationes etiam usque ad diem iudicii, quin sciant, quando ne ille futurus sit: Primum, quia Beati omnia quae ad ipsorum statum spectant, vident, sed juxta dispositionem voluntatis Dei volentis sic eis manifestare preces illas, sibi tamen reservare diem iudicii. Secundum, quia multi dicunt, Beatos per visionem suam videre ipsam met Visionem Beatam, & non ipsius durationem; ergo sic poterunt videre hujusmodi preces, & non earum durationem, sive diem iudicii. Tertio, quia hujusmodi preces, juxta communem Theologorum sententiam, videntur à Beatis per peculiare revelationes extra Deum, quin extra Deum agnoscant tempus iudicii futuri; ergo sic poterunt illas cognoscere in Deo per Visionem Beatam.

119. Respondeo quarto cum eodem P. Arriaga cit. num. 41. & P. Compton. cit. num. 8. negando eandem illationem quoad ultimam etiam partem: possunt enim Beati scire preces ad se fundendas etiam tempore, sive die iudicii, quin tamen inde sequatur, eos scire ipsum diem iudicii; siquidem sciunt, Petrum, v.g. eos orare, ut liberetur ab Antichristi violentia, quo autem anno, aut die id fiat, nesciunt: tum quia hoc non pertinet ad praemonendos eos, ut orent pro Petro: tum quia cum hac veritas obiectiva: *Petrus opem à me exposcet tempore Antichristi*: sit diversa ab hac veritate obiectiva: *Petrus opem à me exposcet tempore Antichristi, qui venturus est post centum annos*: possunt Beati, sicut per revelationem extra Deum, ita per Visionem in Deo, primam, non autem secundam veritatem agnoscere.

120. Obijcies 2. Ex his sequitur, ut aliquando inferior Beatus plura videat in Verbo, quam alius beator; siquidem possunt plura pertinere ad illius statum; aut plures orationes ad illum fundi; hoc autem videtur absurdum; ergo &c. Respondeo concedendo sequelam; neque enim in hoc datur aliquod inconveniens, prout supra diximus n. 82. siquidem adhuc ille, qui plures res creatas videret, non ideo foret beator: tum quia excessus beatitudinis non provenit solum ex visione plurium creaturarum, sed ex majori intensione visionis, quam alter potuisset habere: tum etiam quia provenit ex majore claritate, quae stare poterit cum eo, quod pauciores creaturas videat.

SECTIO VII.

Quanam perfectiones Essentiae Divinae moveant ad cognoscendas creaturas in Verbo?

121.  UAMVIS ex haftenus dictis constet, creaturas aliquas, tum possibiles, tum futuras, tum existentes cognosci in Essentia divina, tanquam in causâ, sive ratione cognoscendi, adhuc tamen incertum est: Utrum Essentia divina hujusmodi causalitatem exerceat secundum se totam: an secundum aliquas ejus peculiare perfectiones? Cum igitur Essentia divina creaturas non contineat, nisi secundum quod circa illas aliquem effectum exercet, aut exercere potest, tota difficultas reducitur ad illius perfectiones peculiare, secundum quas aliquem

exercet effectum circa creaturas: Hujusmodi autem perfectiones sunt Omnipotentia, Ideæ, Scientia, & decreta Dei libera, & quæ non solum respectu creaturarum possibilem, sed etiam existentium. Pro quibus:

122. Conclusio 1. sit: Omnipotentia divina cognita in Essentia est ratio cognoscendi creaturas sub esse possibili. Ita P. Mol. 1. part. quest. 12. art. 8. d. 5. memb. 1. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 25. num. 20. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. se. 4. num. 61. P. Gil. tomo 2. tract. 7. cap. 17. à num. 3. P. Fesol. 1. part. quest. 12. art. 7. dub. 8. num. 53. Aegid. Lust. tomo 1. lib. 5. quest. 18. art. 5. §. 7. & alii. Probat primò auctoritate D. Dionysii de Divin. Nominib. cap. 7. docentis, Mentem divinam, ut omnium causam, in se ipsa habere omnium scientiam anticipatam; ergo &c.

123. Probat secundò ratione, quia in causis creatis, ut experientia testatur, bene cognoscimus earum effectus ob solam continentiam, quam in illis habent secundum potentiam, & virtutem productivam; sed Essentia divina secundum rationem Omnipotentiae continet creaturas eminenter modo perfectissimo, influendo scilicet in illas per influxum effectivum, ita ut omne possibile essentialiter pendeat ab illa, & cum illa necessariam habeat connexionem; ergo visâ Omnipotentia à Beatis, eos ducet in cognitionem creaturarum possibilem.

124. Oppositum tenent Bannez 1. part. quest. 12. art. 8. dub. unico ad 2. Zumel. ibid. q. unica ad 3. P. Recupit. quest. 36. cap. 2. num. 5. Pro quibus: Argues 1. Omnipotentia divina, cum sit simplicissima, omnes effectus, & creaturas continet indistinctè, & confusè; ergo non potest esse ratio cognoscendi illas clarè, & distinctè, ut illas cognoscunt Beati per Visionem Beatam; siquidem causa eo modo ducit in cognitionem effectum, quo illos continet. Respondeo negando consequentiam: satis enim est, quod Omnipotentia eminenter contineat creaturas cum sui distinctione solum virtuali secundum diversas creaturarum eminentias, ut secundum has diversas virtualitates cognita, possit ducere in cognitionem evidentem diversorum effectuum, seu creaturarum. Pater in causis creatis, in quibus satis est similis distinctio, ut ducant in cognitionem claram diversorum effectuum: quod autem Omnipotentia prout eminenter continet hominem distinguatur à se prout eminenter continet Angelum, sicque de aliis, distinctione virtuali, & quoad nos, est satis clarum.

125. Argues 2. Omnipotentia divina ita est absoluta, ut nullum omnino respectum dicat ad creaturas; sic enim se habet ad illas, sicut perfectivum ad perfectibilia; & aliunde haberet imperfectionem, si ad illas ordinaretur; ergo cognita nequit ducere in cognitionem illarum. Respondeo dato antecedente, (quod alibi negavimus in Physica, ubi diximus, Omnipotentiam esse relatum transcendens ad possibilia,) negando consequentiam; licet enim nullum dicat ordinem ad possibilia, satis est, quod cum illis habeat, ut habet, proportionem, & connexionem, ut sit ratio cognoscendi, prout diximus in Log. tract. 3. d. 3. à num. 362. Vide ibi dicta.

126. Instabis: Si Omnipotentia, ut supponit argumentum, nullo modo ordinatur ad creaturas, ut potè quæ ab illis non dependet, sed solæ creaturæ ad Omnipotentiam, à quâ dependent, sequitur quod Omnipotentia solum sit earum purus terminus,

terminus, sicut talis est paries respectu visionis, quam terminat; atqui paries cognitus non ducit in cognitionem visionis, quam terminat, & terminare potest; ergo neque sic ducet Omnipotentia in cognitionem creaturarum, quas potest producere. Respondeo primò negando sequelam: Omnipotentia enim habet, quod sit realis, & vera causa creaturarum, quas cum eminenter contineat, potest producere, sicque significare, quod non habet paries respectu visionis. Respondeo secundò, data majori, negando minorem: paries enim, prout sic potest ducere in cognitionem visionis, ut patet ex alibi dictis in Logica; sicque eodem modo posset Omnipotentia ducere in cognitionem creaturarum, licet solum esset earum purus terminus.

117. Argues 3. Si quilibet Beatus videret creaturas possibiles in Omnipotentia divina, ut in causa, sequeretur quemlibet videre distinctè omnia possibilia; siquidem cum quilibet videat clarè & distinctè quidquid est formaliter in Deo, & omnes gradus Omnipotentie ita sint in Deo formaliter; & deinde quilibet gradus sit virtute distinctus, & determinatus ad certam creaturam possibilem, omnes illos videbit, cum non detur major ratio de uno, atque de aliis; consequenterque videbit omnia possibilia; sequela autem non est admittenda; ergo &c. Respondeo negando sequelam; ut patet ex supra jam sæpè dictis, & patebit ex infra dicendis: Beatus enim non penetrat omnimoda claritate omnes partes alicujus Attributi; alioqui illud, imò & ipsum Deum comprehenderet, quod infra negabimus. Cur autem alias distinctè, alias verò solum confusè videat? tribuendum est Voluntati Divinæ, & modo se manifestandi, prout infra explicabimus.

118. Conclusio 2. sit: Idea, seu Exemplar divinum à Beatis clarè visum, est ratio cognoscendi creaturas possibiles. Ita *D. Thom. 1. part. quest. 15. art. 3. & quest. 20. de Verit. art. 4. ad 7. Albert. in 1. dist. 9. art. 13. ad 5. Bannez, 1. part. quest. 12. art. 8. dub. unico, ad 2. Zumel. ibid. quest. unica, ad 3. P. Gil. tomo 2. tract. 7. cap. 17. à num. 7. P. Soar. lib. 2. de Attribut. cap. 25. num. 29. P. Albertin. tomo 1. princip. 1. corol. 4. punct. 4. P. Tanner. 1. part. d. 2. quest. 6. dub. 9. num. 4. & P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 6. num. 61. P. Ribas tract. 3. d. 8. cap. 5. num. 34. Henric. quodlib. 7. quest. 4. & 5. & alii. Probatur primò auctoritate D. Aug. lib. 11. de Civit. cap. 7. & 29. ibi: Ipsam quoque creaturam melius ibi (hoc est in Sapientia Dei) tanquam in arte, qua facta est, quam in ea ipsa sciunt. Et lib. 4. de gen. ad litter. cap. 24. Procul dubio, inquit de Angelis, universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi in ipso Verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium, etiam quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes: idest Ideæ; ergo &c.*

119. Probatur secundò ratione, quia Idea, sive Exemplar Divinum ita continet creaturas possibiles, ut cum illis majorem habeat similitudinem, quam habet Omnipotentia; sed hæc propter illarum continentiam in illarum cognitionem ducit; ergo à fortiori sic ducet Idea, sive Exemplar divinum. Confirmatur, quia eodem modo se habet Idea ad ideatum, quo imago ad imaginatum; siquidem Idea est vitalis, & perfectissima imago rei ideatæ; sed imago cognita ducit in cognitionem imaginati: ergo & Idea in cognitionem ideati.

120. Oppositum tenent *Durand. in 4. dist. 49. q. 3. num. 8. Palar. d. 2. P. Vasq. 1. p. d. 50. cap. 2. n. 9. P. Recupit. lib. 9. q. 36. cap. 1. num. 2. pro quibus;*

Objicies 1. Ratio Ideæ, seu Exemplaris divini constituitur in conceptu formali divino, ut latè probat *P. Soar. in Met. d. 25. sect. 1.* sed hujusmodi conceptus solum est ratio constituens Intellectum divinum formaliter cognoscentem, utpotè qui in solo Intellectu divino per identitatem recipitur; ergo non est ratio, quæ cognita ducat in cognitionem intellectum Beati. Respondeo data, & non concessa majori, (contrarium enim diximus in *Phys. tract. 2. d. 7. à num. 244.* negando minorem; licet enim cognitio divina sit ratio formalis, ut Intellectus divinus formaliter tendat in cognitionem creaturarum, hoc non tollit, quominus objectivè cognita ducat intellectum alienum Beati in cognitionem earundem creaturarum, cum sit formalis representatio earum.

Objicies 2. Idea, seu causa exemplaris, non potest esse ratio cognoscendi creaturas, nisi cognitione abstractivà, & ad instar alterius, non autem intuitivà, qualis est Visio Beata; ergo &c. Respondeo primò Visionem beatam, licet sit cognitio intuitiva Dei, posse esse abstractivam creaturarum, quod sufficit, ut dicamus, eas cognoscere ex Ideis. Respondeo secundò, antecedens esse verum de idea creata, non autem de Increata, quæ simul eminentissime continet omnem perfectionem creaturarum, prout supra diximus.

Objicies 3. Idea, sive Exemplar divinum, sive sit ipsa cognitio formalis Dei, sive illius Essentia, prout est imitabilis, sive sit utraque simul, est in Deo ratio absoluta, & omnino independens, sicque non ordinatur ad creaturas possibiles; ergo non potest ducere in illarum cognitionem. Respondeo dato antecedente, de quo jam supra, & alibi diximus, negando consequentiam: nam ut sæpè diximus, non exigitur aliquis respectus realis, & transcendentalis, ut aliquid ducat in cognitionem alterius, sed satis est habitudo, proportio, & illius representatio, qualis cernitur in Idea, sive Exemplari divino respectu creaturarum possibilibus.

Objicies 4. Idea juxta probabilem sententiam, de qua jam in Physica loco proximè citato, est in Deo ipsius Essentia, prout est imitabilis à creaturis; ergo hæc prius cognoscuntur ab intellectu ut imitantes, quam Ideæ ut imitatæ; consequenterque hæc prius cognitæ non ducunt in cognitionem creaturarum. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam: nam si Idea accipitur sub ratione formali quasi in actu exercitæ exemplarizantis, prius cognosci debent creaturæ, quam Ideæ; hæc tamen cognitio non est cognitio in Deo, de qua loquimur: si verò accipitur fundamentaliter, quod sufficit ad hoc, ut in illa videantur creaturæ, tunc negandum est prius debere cognosci ipsas creaturas, ut patet.

Conclusio 3. sit: Scientia simplicis Intelligentiæ in Deo à Beatis cognita est ratio cognoscendi creaturas possibiles. Ita *D. Thom. 1. p. q. 57. art. 5. P. Soar. cit. P. Molm. cit. P. Valent. 1. p. q. 12. p. 6. P. Tanner. cit. n. 5. P. Gil. cit. cap. 18. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 4. n. 61. P. Albertin. cit. P. Ribas, tract. 3. d. 8. dub. 5. & alii. Probatur primò auctoritate Sanctorum Patrum, sæpiùs asserentium, beatos videre creaturas in Immutabili Dei veritate, idest in Scientiâ Dei, quod de Beatis Angelis in speciali affirmat *D. Aug. de tripl. habitacul. cap. 4. & lib. 4. de genes. ad litt. cap. 26. cit. & lib. 11. de Civit. cap. 7. & 29. cit. & dicentium, omnia videre in Sapientiâ divinâ, ut expressit D. Petr. Damian. de Instit. Monial. cap. 15. quod similibus aliis formis**

Sancti alii significant; ergo &c.

135. Probatur secundò rationibus: Prima, quia Scientia simplicis Intelligentiæ in Deo verè, & propriè repræsentat creaturas sub esse possibili singulas secundum singulas earum rationes formales, quas ipsa in se includit virtualiter distinctas, prout supra diximus de Omnipotentia divina in ordine ad easdem creaturas possibiles; ergo secundum huiusmodi virtualitates cognita potest esse ratio cognoscendi illas distinctè, & secundum suas peculiare rationes.

136. Secunda, quia Beati cognoscunt huiusmodi creaturas in Idea divina; ergo etiam in Scientia divina Simplicis Intelligentiæ; cum Idea, sive adæquatè, sive inadæquatè, nihil aliud sit, quàm conceptus, cognitio, sive Scientia Dei. Tertia, quia verbum, conceptus, sive scientia creata, est expressa, & actualis similitudo objecti, & ex se apta ducere in illius cognitionem, si cognoscatur; ergo multò magis id habebit verbum, conceptus, sive Scientia divina; sed Beati hanc clarè, & distinctè cognoscunt, & vident; ergo sic etiam poterunt, imò re ipsa cognoscunt ejus objectum, nempe creaturas possibiles. Confirmatur, quia impossibile est videre aliquem conceptum, sive scientiam clarè, & distinctè, non viso simul illius objecto; ergo etiam impossibile erit videre sic clarè, & distinctè Conceptum, sive Scientiam divinam, non viso simul objecto, nempe possibilibus.

137. Oppositum defendunt *Ocham. quodlib. 4. q. 3. Major. in 3. dist. 14. q. 3. ad 3. P. Becan. 1. p. tract. 1. cap. 9. q. 3. n. 7. fine*: pro quibus: Argues 1. Formalis ratio cognoscendi, qualis est Scientia, sive divina, sive creata, non potest ducere potentiam in cognitionem objecti, quin illam informet; siquidem cum effectus formalis non distinguatur ab ipsa causa formali applicata subiecto, debet hæc subiecto applicari, ut illum præstet; atqui Scientia divina nequit informare intellectum creatum, ut patet; ergo neque esse illius ratio cognoscendi. Respondeo majorem esse veram de ratione cognoscendi formali; non autem objectiva. Unde licet omnis scientia, sive creata, sive increata necessariò debeat informare potentiam, ut sit illi ratio formalis cognoscendi, utpotè cujus vita, & operatio est; sumpta tamen prout est objectum terminans alienam cognitionem, potest esse ratio cognoscendi, quin potentiam informet.

138. Argues 2. Si Scientia divina simplicis intelligentiæ esset ratio Beatis cognoscendi creaturas possibiles, sequeretur Beatum per ipsammet scientiam cognoscere omnes perfectiones Dei intrinsecas, quarum illa est formalis repræsentatio; imò cum Deus se ipsum per illam scientiam comprehendat; & non sit major ratio, cur intellectus creatus ex illa potius hæc, quàm alia objecta cognoscat, omnia simul cognoscat; consequenter Deum comprehendere, siquidem ad hoc necessaria erat eorum omnium cognitio intuitiva, & maxima penetratio, lumenque infinitum, quæ omnia sunt impossibilia respectu alicujus intellectus creati, imò & creabilis, ut ex infra dicendis constabit.

139. Conclusio 4. sit: Nulla perfectio Dei necessaria, prout sic, sive sit essentialis, sive attributalis,

potest esse ratio cognoscendi creaturas existentes, sive sub esse existentia. Ita *D. Thom. 3. cont. gent. cap. 56. in 4. ration. Ferrar. ibid. Bessol. in 3. dist. 14. q. 2. art. 2. P. Mol. 1. part. quest. 12. art. 8. d. 2. §. Pro solutione, & d. 5. memb. 2. §. ultim. Agid. lib. 5. de Beatitud. quest. 19. art. 5. P. Gil. cit. cap. ult. & alii. Probatur primò, quia creaturæ secundum suum esse existens sunt quid merè contingens, ut patet; ergo nequeunt repræsentari, aut contineri prout sic in aliqua perfectione Dei necessaria; ergo neque ex illa prout sic cognosci. Secundò, quia creaturæ, neque habent, neque habere possunt existentiam actualem, nisi post liberum Dei decretum de illis producendis; ergo cognosci nequeunt in perfectionibus Dei necessariis, quæ antecedunt decreta libera; necessaria enim in Deo sunt priora liberis.*

Conclusio 5. sit: Actus, sive decreta libera absoluta Voluntatis divinæ ut talia à Beatis cognita sunt eisdem ratio cognoscendi creaturas sub esse futuritionis, & existentia. Idem dicendum est de Scientiâ Visionis. Ita *Sot. in 4. dist. 49. quest. 3. d. 3. conclus. 7. Bessol. quest. 3. prolog. art. 2. §. Contra illud. P. Gil. tom. 2. tract. 7. cap. ultim. num. 4. & 5. P. Mol. 1. part. quest. 12. art. 8. d. 5. memb. 5. §. ad 1. & memb. 6. Dicendum est, & memb. 7. §. Anima ergo, & alii. Probatur prima pars, quia huiusmodi actus, sive decreta Dei libera continent creaturas determinatè, idest secundum suum esse futurum, & existentia peculiare, quod habituræ sunt sub talibus circumstantiis temporis, durationis &c. in particulari; ergo nihil obstat, quominus prout sic cognita Beatum ducant in earum cognitionem. Confirmatur, quia esse futurum, & contingens creaturarum dari non potest, nisi mediante decreto libero Voluntatis divinæ, quo tamen posito, suo tempore dabitur, & quo sublato, tollitur; ergo hoc poterit esse ratio cognoscendi illud, utpotè cum quo est prout sic connexum.*

Probatur secunda pars, quia Scientia visionis in Deo repræsentat creaturas secundum suum esse futurum, & existentia determinatum, quod habituræ sunt ex vi decreti liberi Voluntatis divinæ, quod semper supponit; ergo prout sic à Beatis cognita, eisdem erit ratio cognoscendi creaturas sub suo esse futuro, & existentia. Confirmatur autoritate Sanctorum Patrum supra cit. n. 128. & 134. qui clariùs videntur loqui de creaturis secundum suum esse futurum, & existentia; ergo &c.

Oppositum tenent *Capreol. in 4. dist. 49. q. 6. d. 3. ad Argum. Durandi. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 10. n. 154. P. Recupit. lib. 4. q. 36. cap. 2. num. 16. & videtur sentire P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 27. à num. 7. tum ob rationes infra adducendas; tum præsertim, quia ad cognitionem creaturarum sub esse existentia satis esse credunt, quod Beatorum visio ad illas terminetur in se ipsis, quin opus sit, quod ab aliqua perfectione divina ad eorum cognitionem ducatur: Sicut Cognitio divina illas cognoscit in se ipsis, eo ipso, quod futuræ sunt ex vi decreti, quin ab alia sui ipsius perfectione ad id moveatur.*

Sed contra, quia licet talis modus cognoscendi creaturas existentes in se ipsis possibilis sit, ex illo tamen sequitur: Primò, creaturas à Beatis cognititas sub esse existentia non pertinere ad objectum Visionis beatæ secundarium. Secundò nullo modo beatificare intellectum Beati; siquidem non sunt aliquid in Deo cognitum, sed in se ipsis, quod longè abest à cognitione in Deo. Adhuc tamen,

Obijcies

144. Obijcies 1. Actus, sive decreta Dei libera in tantum ducerent Beatos in cognitionem creaturarum futurarum, & existentium, in quantum sunt illarum causas; sed prout sic ducere nequeunt; siquidem decreta libera solum sunt causas secundum id, quod addunt supra actus necessarios; solum autem addunt respectus quosdam rationis, qui à Beato cognosci nequeunt per Visionem Beata; ergo &c. Respondeo decreta Dei libera esse causas creaturarum prout distinguuntur à necessariis fundamentaliter, non autem formaliter, sive prout stant sub illis respectibus rationis, & ut sic possunt cognosci, & ducere Beatos in cognitionem creaturarum. Si verò addant supra actus necessarios solum terminationem ad creaturas, prout alibi diximus, secundum illam à Beatis cognita, illos ducunt in cognitionem creaturarum.

145. Obijcies 2. Multa sunt futura, circa quæ Deus non habet decreta; siquidem Deus non decernit, neque decernere potest actus peccaminosos futuros, quorum tota determinatio est à voluntate creata; ergo non omnia futura, aut existentia possunt à Beatis cognosci in decretis Dei liberis. Respondeo nos non dixisse, omnia futura cognosci à Beatis in decretis cognitis, sed solum decreta cognita esse rationem cognoscendi futura, ad quæ tendunt. Accedit, quod in Deo sunt decreta circa entitatem positivam, & materialem actus peccaminosi, licet non circa formale peccati; & deinde decreta permissiva ipsius peccati, unde in illis positiva entitas istorum actuum, in his verò peccata ipsa formalia cognoscuntur.

146. Obijcies 3. Si creaturæ futuræ, aut existentes cognoscerentur in aliqua perfectione divina cognita, huiusmodi cognitio esset abstractiva; siquidem quicquid cognoscitur ex vi alterius cogniti, cognoscitur abstractivè, cum in alio, & non in se ipso cognoscatur; sed hoc dici nequit; nam si cognitio creaturarum in Deo foret abstractiva, non esset clarior, quam cognitio creaturarum in se ipsis; siquidem quodlibet objectum clariùs in se ipso, quam in alio cognoscitur; hoc autem est contra D. August. lib. 11. de Civit. cap. 7. asserentem, cognitionem creaturæ in se ipsa decolorationem esse, quam quando in Sapientia Dei cognoscitur. Et cap. 29. meliùs in Sapientia cognosci, quam in se ipsa; ergo talis cognitio nequit esse abstractiva; consequenterque creaturæ futuræ, aut existentes non cognoscuntur à Beatis in aliqua perfectione divinâ cognitâ.

147. Respondeo negando minorem, & ejus probationem; licet enim cognitio illa sit abstractiva, utpotè in alio, adhuc clarior, & perfectior est, quam earum cognitio intuitiva in proprio genere; siquidem est supernaturalis, sicque longè celsior, & nobilior; & deinde est in aliquo perfectissimè cognito, quod clarissimè, & perfectissimè continet, & repræsentat ipsas creaturas: quando autem dicitur, cognitionem intuitivam esse clariorem abstractivâ, id procedit cæteris paribus. Ex dictis.

148. Colliges primò, modum cognoscendi creaturas in Deo, ut in causa, Idea, Verbo, sive Scientiâ, & decretis liberis, necessariò esse per medium cognitum. Ita D. Thom. quest. 8. de Verit. art. 4. & 5. & q. 10. art. 4. & 1. p. q. 12. art. 8. & q. 14. art. 5. Caietan. ibid. Durand. in 2. dist. 49. quest. 3. Ferrar. 1. contr. gent. cap. 49. P. Valent. cit. punct. 6. P. Molin. 1. p. q. 12. art. 8. d. 2. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 25. num. 20. P. Tanner, d. 2. quest. 6. dub. 9. num. 9.

& alii. Patet, quia neque effectus in causa, neque imago in Idea, neque objectum in Verbo, sive Scientiâ, neque futurum in decreto possunt propriè cognosci, nisi priùs ratione cognoscatur causa, Idea, Verbum, seu Scientia, & decretum; ergo quoties effectus videtur in causa (sicque de aliis) semper videtur in illa ut in medio priùs cognito.

Colliges secundò, rectè etiam dici creaturas à Beatis cognosci in Deo, seu in Verbo tanquam in speculo voluntario, licet hic modus cognoscendi non sit à superioribus distinctus, sed sub singulis comprehendatur, ut tenent P. Valent. cit. P. Soar. cit. n. 44. ex D. Amb. lib. 2. in Lucam. D. Aug. epist. 112. D. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. ad 2. & q. 14. art. 5. & in 3. dist. 14. q. 1. art. 1. siquidem modus iste loquendi, nempe videri creaturas in Deo, ut in speculo, metaphoricus est, sicque metaphoricè solum significat, & confusè, quod aliis modis assignatis propriè, & distinctè explicatur.

Colliges tertio, creaturas posse etiam cognosci à Beatis in Voluntate divina per modum simplicis complacentiæ illas approbante, si sumantur secundum suum esse possibile: si autem quoad existentiam, in ipsa voluntate per liberum decretum applicatâ, & determinatâ ad illas producendas. Ita P. Molin. 1. part. quest. 12. art. 8. d. 2. P. Tanner. d. 2. q. 6. dub. 9. n. 7. & alii. Patet ex supra dictis, & quæ hæcenus diximus ex iis, quæ jam alibi à nobis dicta sunt in Log. tr. 3. d. 3. à n. 362.

DISPUTATIO VI.

De Æqualitate, & Inæqualitate inter Visiones Beatorum.

SECTIO I.

Virum videri possit Deus, non visis illius perfectionibus secundariis?



IN præfenti Disputatione agendum nobis est de æqualitate, & inæqualitate terminativa Visionis Beata; siquidem hac, & illius causis explicatis, faciliùs explicabimus difficultates circa ejus æqualitatem, & inæqualitatem formalem, quæ minùs principaliter expedienda erit. Primò igitur inquirendum erit: Utrum huiusmodi inæqualitas terminativa de facto detur, aut dari possit inter Visiones Beatas, tam in ordine ad objectum primum, quam secundarium. Secundò, quænam sint causæ effectivæ huiusmodi inæqualitatis. Tertio, quænam habeat causas formales. Hoc posito.

Difficultas modò est: Utrum Deus videri possit, non visis illius perfectionibus secundariis? Advertendum est primò cum P. Gil. tom. 2. tract. 9. cap. 5. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 4. sect. 2. n. 10. Egid. Lustr. lib. 12. de Beatitud. quest. 10. art. 1. §. 3. à numer. 21. duo perfectionum genera posse in Deo confide-